LIBRAIRIE MÉDICALE
CH. BOULANGE
11, R. de l'Ancienne Comédie PARIS

14359 / B / 1

B. V 18/6

Boerner

1540 Ro
~~48. 4.15.~~
~~B247~~
26859

ANTIQVITATES MEDICINAE AEGYPTIACAS

EXERCITATIONE ACADEMICA

AD DIEM IIII MAI A. P. S. CIↃIↃCCLVI

IN AVDITORIO MAIORI

PVBLICO EXAMINI SVBIICIENT

PRAESES

FRIDERICVS BOERNER

MEDIC. DOCTOR ET PROF. PVBL. EXTRAORD

ACADEMIAE CAESAR. NAT. CVRIOS

ADSCRIPTVS CAET

ET


RESPONDENS

PAVLLVS FABRI

NEOSOL. EX HVNGARIS

S. THEOL. ET PHILOL. C

CIV. PANN. IN ACAD. WITTEB. A BIBLIOTH



CVM FIGVRIS AENEIS

WITTEBERGAE

STANNO SCHLOMACHIANO

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

AD

NOBILISSIMVM

ATQVE

CLARISSIMVM VIRVM

DOMINVM

PAVLLVM FABRI

NEOSOLIENSEM

IVVENEM ORNATISSIMVM ATQVE MORVM
ET VIRTVTIS ELEGANTIA LAVDEQVE
LITTERARVM COMMENDATISSIMVM

DE

ANTIQVITATIBVS MEDICINAE AEGYPTIACIS

RESPONDENTIS SVBEVNTEM OFFICIA

EPISTOLA

BOERNERI

PRAESIDIS

QVI a primis inde temporibus, cum patrios reliquiſſes lares, noſtram ſalutans Saxoniam, TVA me non ſolum beaſti amicitia, ORNATISSIME FABRI, TV DVLCE DECVS MEVM! verum huc etiam cum accederes, priuatorum laborum ſollertem TE exhibuiſti ſodalem, atque in meis, quae ad elegantiorem Medicinam ſpectant, laboribus, auditorem aſſiduum, ita, ut fieri non potuerit, quin illico exoſcularer ingenium rectum atque docile, animum virtutis ſtudioſiſſimum, moreſque TVOS ita eleganter formatos, ut nihil, niſi quod cum vera coniunctum eſt laude, expetendum exiſtimes TIBI: nunc publicorum etiam laborum meorum praebes TE hodie mihi comitem, atque in cathedram mecum aſcendis, praeclaramque TVAM facundiam, in publico veluti quodam profers theatro, defendentis in TE, unanimi applaudentium innixus turbae, ſuſcipiens ſpartam; ita, hoc noui TVI in me fauoris documentum ſilentio ſi praeterirem, nae ego hominum omnium eſſem ingratiſſimus. Quamuis enim is ego quidem non ſim, qui virtuti TVAE, per ſe iam iam corruſcanti, addere ſplendoris aut laudum aliquid poſſit; hoc tamen, qui potiore veluti quodam TE poſſideo iure, et cui quotidiana eſt indolem iſtam TVAM paenitius intro-

ſpiciendi occaſio, impetrare a me non poſſum, quo minus publice iam profitear, rarum eſſe inter noſtri aeui iuuenes TVVM exemplum, qui praeter elegantiorum litterarum, ſolidioris doctrinae, atque ſanctiorum diſciplinarum ſtudia, quibus TE tradidiſti totum, antiquitatum etiam, priſci illius aeui deliciarum, quae, non niſi iis, qui obtuſioris ſunt ingenii, ſordent, teneris amore, unitiſque mecum viribus hac in arena quotidie militas, quinimmo auctor nonſolum ſuaſorque mihi exſtitiſti, ut hoc in argumento, quod de Medicinae meae apud orientis populos olim ſtatu, exponendum ſumſi, pergerem; ſed, ut verum fatear, in colligendis etiam hiſce priſci ſplendoris theſauris, ipſe auxiliatrices mihi praebuiſti manus, ita, ut magnam partem TIBI tribuere iure TVO poſſim atque merito. Quae cum ita ſint, facere non poſſum, quin ingenii TVI fructus, diligentiamque TVAM hactenus praeſtitam, et Inclutae TVAE Patriae, et Academiae noſtrae, et TIBI, et mihi ex animo gratuler, ſpemque omnibus faciam certiſſimam, talem TE ali- aliquando futurum, qualem exoptare ſibi quiſque, qui bonis litteris, qui Patriae TVAE, qui Academiae fauet, poſſit. Patriae autem profecto TVAE, *Hungariae*, eo lubentius hoc praeſto officium, cum a primis inde temporibus, quo propius noſſe coepi viros eruditos, adeo illius animo inſederit meo amor, ut eam veluti magnorum ingeniorum ſemper habuerim foecundiſſimam feliciſſimamque matrem, et ſaepe ibi habitarit animus, quo corpore me venire illa fatorum prohibuit vis, qua omnis rerum humanarum ſeritur ordo. Quum enim non ſane tam opum ac potentiae magnitudo, qua nec TVA caret *Hungaria*, florentes reddit atque beatas reſpublicas, quam virorum, regendi docendique arte bene atque accurate inſtitutorum, copia: non ſane poſſum, quin beatam praedicem *Hungariam*, cuius futurae quoque fortunae tot erectiora ingenia, quae in ſpem poſteritatis apud nos etiam quotidie adoleſcunt, praeludere veluti videntur. Habet enim hoc *noſtra Academia* ſingulare, quod prae multis aliis Patriae TVAE dederit ciues, qui prima apud nos ſapientiae ſuae iecerunt fundamenta, poſtero vero die, publicae

felici-

felicitatis apud nos pignora fuerunt, praeſidia, columina. Permittes igitur, AMANTISSIME IVVENIS, ut, cum hoc gratulandi in me ſuſcipiam officium, ex ſcriniis meis eos ciuium TVORVM colligam, in quibus, quae dicta ſunt, quam maxime effulgent. Dicam, quantum fieri poteſt, breuiſſimis, *de Hungarorum atque Hungaricae Gentis ad ornandam Academiam noſtram ſtudio*, aut ſi mauis, *noſtrae in Gentem* TVAM *Academiae meritis*; quo habeas exempla, non quae ſequaris, ſponte enim, ſine calcaribus curris, ſed quae ſint TIBI in curſibus TVIS atque ad praeclara quaeuis greſſibus, comites. Quod ut eo fiat curatius, quoslibet, certo quodam conſiderabo ordine. Et ſic quidem

1) Siſtendi ſunt generoſo ſanguine nati, atque ex iſto delibato Nobilitatis Hungaricae flore orti, qui viros apud TE protulit pace belloque magnos, immortalique apud aetatis ſuae homines atque poſteros meritorum in rempublicam gloria clariſſimos. Ex quibus inuenire licuit duo, qui propter virtutes domeſticas, morumque elegantiam, ipſos apud nos quondam Academiae ſuſceperunt faſces, atque RECTORES MAGNIFICI, quos dicimus, per aliquod tempus Academiam noſtram ornarunt. Et quidem 1) FRANC. BA'NFI LOSSONCZY, ILLVST. AC MAGNIF. DOMINI WOLFG. BA'NFI LOSSONCZY, COMITIS DOBOCZ. BARONIS IN HVNNYAD, NAGYFALV, etc. et ILLVSTR. PRINC. TRANSSILV. CONSIL. filium, qui Rectoratum apud nos A. 1588. cum laude geſſit, et egregie de nobis meritus eſt; atque 2) EMERICVM THVRZO DE BETHLEMFALVA, LIBERVM AC HEREDITAR. COMITEM DE ARWA, EIVSDEMQVE COMITATVS ARVENSIS SVPREMVM AC PERPET. COMITEM, GEORGII THVRZO DE BETHLEHEMFALVA, REGNI HVNGARIAE PALATINI, IVDICIS CVMANORVM etc. filium, qui An. 1615 ad nos acceſſit, comite FRANCISCO ARMERVSTERO, atque ſequenti ſemeſtri itidem in magnum Academiae noſtrae ornamentum, tenuit faſces, ſub cuius nonſolum magiſtratu ex ciuibus Hungaricis, nomen ſuum Albo

dederunt Academico: FRANC. PACZOTH de Becki; IOAN. OSZTROZITH de ghyletincz, L. B. in illawa; et PAVLVS SZENOTEI; Viri, in Patria tva, poſtero die, ut noſti, clariſſimi: verum cuius etiam ſcribenti ad manus ſunt ex ciuium tvorvm apud nos degentium Bibl. publ. *Orationes* elegantiſſimae, *quas Rector pro roſtris dixit*, et quae Witteb. 1616. 4. typis io. richteri exſcriptae prodierunt, quemque ex merito ſuo iam laudauit, Hungariſque ſuis eruditione claris inſeruit, Dav. Czvittinger, ipſe Hungarus, in *Specimine* ſuo *Hungariae Literatae*, *Frf. 1711. pag. 384*

Sequuntur

II) qui *Hungariam* Patriam agnouerunt, poſtea vero apud nos muneribus publicis admoti, multum ad ornandam Academiam contribuerunt. Sunt hi 1) ex Ordine Theologorum, MARTINVS CHLADENIVS, *Cremnicienſis*, S. Th. D. et Prof. Publ. Templi OO. Sanct. Praepoſitus etc. Vir, qui ore et ſcriptis apud nos inclaruit, gloriamque, quam Theologi noſtri a primis recuperatae verae religionis temporibus ſibi pepererunt, non ſolum retinuit, verum auxit etiam atque amplificauit, magnuſque inſuper magnorum filiorum pater, qui hodienum adhuc non Dreſdae ſolum et hic Wittebergae maiorum ſuorum veſtigiis inſiſtunt ſtrenue, verum qui exteris etiam Academiis decori ſunt et ornamento. 2) Ex Ord. Medico IO. IESSENIVS a IESSEN, *Eques Hung.* 3) Ex Ordine Philoſophico IO. BAPTISTA ROESCHELIVS, *Sopronienſis*, Phyſicae apud nos per plures annos Prof. Publ. Ord. et dein etiam Theol. Extraord. De quibus vero omnibus, alio loco, cum temporis anguſtia in praeſenti hoc non permittat, uberior diſſerendi dabitur occaſio

III) Ex iis, qui inter *Ordinis Philoſophici*, quos dicimus, *Adiunctos*, ad quos nunc quidem progredi liceat, ex *Hungaris* tvis ore ſcriptiſque inclaruerunt, quique maximam dein partem eccleſiaſticis atque ſcholaſticis muneribus in Patria admoti fuerunt, mihi quidem innotuere 1) IOANNES

NES

NES BAYERVS, *Eperienſis*, qui apud nos vixit A. 1650. et ſequentibus, Ordinique Sapientum admotus variis inclaruit diſſertationibus academicis, poſtea in *patriae urbis* Gymnaſium Rector abiit, indeque *Nouiſolium*, TVAM, AMANTISSIME FABRI, Patriam, verbi diuini miniſter vocatus fuit, et tandem ad idem ſubeundum munus *Varallium* diſceſſit. (vid. CZVITTINGER *loc. cit. pag. 48. ſeqq.*) 2) ISAACVS ZABANIVS, *Brodſano-Hungarus*, Vir clariſſimus, qui Artt. et Phil. Mag. et poſtea Ordinis commemorati Adiunctus floruit circa Annum 1659. poſtero die in illuſtri Statuum Euangel. *Eperienſi* Collegio, Theologiae Polemicae Profeſſor Secundarius atque Philoſ. Theoret. Ordinarius, clarum adeptus eſt nomen, ſcriptiſque eruditis et doctrina Patriae ſuae profuit. 3) M. CHRISTIANVS PIHRINGER, *Poſonio-Hungarus*; 4) M. DANIEL GVILIELMVS MOLLER, itidem *Poſonienſis*; 5) M. ELIAS SCHOEN, *Eperieſſino-Hungarus*, neque minus inter Ordinis huius Adiunctos, eodem tempore et ſequentibus annis, propter eruditionis ſuae gloriam, Gentis ſuae decora fuerunt, variaſque muneribus his conſtituti ediderunt diſſertationes academicas. 6) M. IO. KEMMELIVS, *Leutſch.* 7) M. MICH. VNGERVS, *Német-Vjvarino Hung.* qui vocatus Gymnaſ. *Sopron.* Con-Rect. A. 1662. Vitteberga diſceſſit. 8) M. ESAI. PILARIK; 9) M. GEORG. GASSITZIVS; 10) M. PAVLVS PLATANI, *Muotyowa-Hungarus*, inter Adiunctos fuit A. 1676 atque ſeqq. ex cuius compluribus, quas publicae cenſurae ſubmiſit, diſputationibus academicis, inprimis hic annotari meretur, ea, quam A. 1676 *de Gentis Hungaricae primis incunabulis* conſcripſit. 11) M. IOANNES SARTORIVS, *Eperienſis*, qui poſtquam eodem fere tempore per aliquot annos Academiam noſtram Fac. Phil. Adi. ornauerat, in Gymnaſium *Thorunienſe* Prof. Publ. vocatus abiit, indeque in *Elbingenſe* ad eandem obeundam prouinciam diſceſſit, et tandem in *Gedanenſi* eodem munere cum laude functus eſt. 12) M. GEORGE MICHAELIS CASSAI, *Steina-Hungarus*, unus ex illis, qui, uti bene noſti, de noſtra

Acade-

Academia TVAque ſimul Gente apud nos praeclare meritus eſt multiſque profecto nominibus. *Hic* enim eſt, cui, praeter innumera alia beneuolae mentis documenta, debemus, quod prima *Bibliothecae*, quam dicimus, *Hungaricae*, illiuſque inter *Ciues* TVOS publicae, cui ipſi TV in praeſenti cum Clariſſ. THOMANNO, Ciue TVO, cum laude praees gubernandae, iecerit fundamenta; *Hic* eſt, qui Ordini Sapientum Adſcriptus plus vice ſimplici in cathedra ſtetit academica, *Ipſe*que apud nos diem ſuum obiit A. 1725. aet. 85. *Hic* eſt, cuius memoria perennis apud *nos* et apud *vos* erit atque ſempiterna. 13) M. FERDINAND. CLEMENT, *Neoſol.* ex cuius Diſpp. prae reliquis notari meretur de *Victimarum Salitione*, An. 1688 habita. 14) M. MATTHIAS PLATANI, *Drauecenſis;* 15) M. CHRISTIAN. MARTIN. SEELMANN, *Leutſchouienſis;* 16) M. ANDREAS TORKOS, *Iaurinenſis*, clariſſimus clariſſimorum filiorum pater, ex familia, medica etiam arte quam maxime incluta, oriundus. 17) M. IOANNES HEYLIVS, *Szakoloczu-Hungarus;* 18) M. IOANNES GEORG. MAGNVS, *Poſonienſis;* qui omnes ad finem uſque Saeculi praeteriti, Ordini huic ſapientum adſcripti, rem ſuam, ad ornandam Academiam ſtrenue atque cum laude peregerunt. 19) M. IO. BVRIS, *Solna-Hung.* 20) M. IO. DAN. PERLICIVS, *Caeſareoforenſis*, qui cum Philoſophia rem Medicam atque Mathematum ſtudia laudabiliter coniunxit, et praeter varias diſputationes academicas, *Theoria* inprimis inclaruit *caloris mathematica*, *noua methodo Medicinae applicata*, contra Cl. HAMBERGERVM ſcripta, et inter Philoſ. Fac. Adi. An. 1727. fuit, poſteaque 1728 Lugduni Batauorum ſummos in Medicina adeptus eſt honores, Diſp. *de naturarum diuerſarum indagine medica*, *ſub ſchemate ſyſtematis diuerſarum machinarum inter ſe connexarum feliciter inſtituenda.* Et denique 21) M. CHRISTIAN. FRVHAVFF, *Leutſchouienſis*, qui nouiſſime 1747 Ordini huic adſcriptus, *Immortalitatem* inprimis *animarum ex Iuſtitia Dei deriuatam*, tribus diſputationibus academicis publice propoſuit.

ſuit. Hi igitur ſunt, qui *Ordinem* ornauerunt apud nos *Sapientum*, et quorum nomina non, niſi cum laude, nominari poſſunt.

Adiungere nunc iis placet IIII) etiam eos ex *Ciuibus* TVIS, qui caſtra ſequuti HIPPOCRATIS, ſummos, quantum ego quidem ſcio, adepti ſunt apud nos in Medicina honores, et qui uberiorem ſane poſcerent a me enarrationem, niſi limites epiſtolae huic praeſcripti aliud iuberent. Commemorandi itaque aut nominandi potius tantum veniunt 1) IOAN. BREVER, *Leutſchouienſis*, qui habita diſp. inaug. de *Ictero flauo*, Praeſ. CONR. VICT. SCHNEIDERO, 1664. 2) FERDINAND. KHIEN, *Nouizolienſis*, Regiae Liberaeque Ciuitat. *Epperies* Medicus deſignatus, qui poſt defenſ. diſp. inaug. de *Syncope*, Praeſ. IO. STRAVCHIO, 1667 et 3) IO. FRIDELIVS, *Poſonienſis*, qui cum duobus praecedentibus *Decano* IO. STRAVCHIO, d. 5. Mart. 1667 ritu ſollemni atque antiquo ſummis in Medicina ornati fuerunt honoribus. His accedunt 4) IO. EPHRAIM BOEHM, *Poſonienſis*, qui CHRIST. VATERO Praeſide, de *Sulphure Vitrioli anodyno* diſputauit, A. 1683. 5) IO. GOTTFRIED LANGE, *Schemnicienſis*, qui Praeſ. IO. GOTTFR. BERGERO, diſp. de *filo medicinali*, A. 1702. 6) IOANNES HAMBACHER, *Nouiſolienſis*, qui poſt diſp. habitam de *Chirurgo inſonte*, Praeſ. HEVCHERO, Licentiam capeſſiuit, A. 1710. 7) MATTHIAS TEMLIN, ex *C. Caſtriferrei*, qui Praeſ. STENTZELIO, A. 1735 de *Catarrhis aſylo ignorantiae*, diſp. pro Gradu Doctoris, et poſtea feliciter apud nos hic artem ſuam exercuit, ante paucos admodum annos mortuus. 8) GEORGE VAGHI, *Iaurinenſis*, qui *Eodem* Praeſide, de *Inſectorum in corpore humano genitorum varia forma et indole* pro Doctoris Gradu diſputauit, 1741. Et denique nouiſſime 9) CHRISTIAN. PAECKEN, *Roſnauia-Hung.* qui praeſidente ABRAHAMO VATERO, de *Cauſſis et effectibus Plethorae*, A. 1751 ſummis in Medicina ornatus fuit honoribus, et nunc pro Profeſſ. Medic. ex Hung. euocatus, in Ruſſiam abiit.

V) Nunc

V) Nunc tempeſtiuum eſſet, omnibus his, quos hactenus nominaui, Viris Clariſſimis atque *Hungariae* TVAE ornamentis, reliquos etiam addere *Ciues* TVOS, qui ſtudiorum cauſſa unquam apud nos degerunt, poſteaque inclaruere, ſicque ad ornandam *Vittebergam* noſtram ſuas contribuerunt ſymbolas. Sed, cum omnium horum nomina nec plures capiant plagulae, nec mearum etiam, lubentiſſime fateor, ſit virium; eos nominaſſe ſufficiat, quos noui, quique inprimis eminent, reliquos ea propter tamen laude ſua non defraudans. Ex antiquis igitur temporibus ſpectant huc, ſi recte ſentiam, 1) MART. CYRIACVS IÖTSEI, perperam a pleriſque Scriptoribus Hungaricis LÖTSEI appellatus, qui primus omnium ex Hungaris LVTHERI fuit auditor, Rectore Magnif. PHIL. MELANTHONE An. 1522 in Album Academicum inſcriptus. 2) DIONYSIVS LINCIVS *Pannonius*; 3) BALTHAS. GLEBA *Budenſis*; 4) STEPH. COPACIVS, in Patriam redux, Eccleſiae Albae Iuliae, anno vero 1547 Riuulenſi; 1549 Patakienſi regendae praefectus. 5) ANDREAS BATIZIVS; 6) EMERICVS OZORAEVS; 7) MATTHIAS DEVAY; quos omnes doctrinae purioris in Eccleſiis Hungaricis inſtauratores, ultimum vero eorum, primum Controuerſiae Sacramentariae ibidem excitatae auctorem fuiſſe, memoriae proditum eſt. Conf. PETRI MONEDVLATI LASCOVII PANNONII *Dedicatio Libris II. de Homine*; Vitteb. 1585. 8. editis, praemiſſa; atque SEVERINI SCVLTETI ῩΠΟΜΝΗΜΑ, *ſiue admonitio breuis ad Chriſtianos Regni Vngarici ciues, de aſſerenda et retinenda veteri ſeu auita vere Chriſtiana doctrina in Confeſſione Aug. comprehenſa*, etc. Bartphae, typis DAVID GVTGESELL; 1599. 4. fol. 19 et 20. Praeprimis vero huc referendus eſt 8) LEONHARDVS STOECKELIVS, *Bartphenſis*, qui non diu poſt reformationem ſuſceptam Vittebergam venit, ipſumque LVTHERVM, MELANTHONEM, BVGENHAGIVM, audiuit, atque poſtquam aliquamdiu Eislebienſis Scholae fuit Rector, puriori doctrina inſtructus, in Patriam rediit, ac inter primos religionis euangelicae propagatores in Hungaria fuit

praeci-

praecipuus, poſteroque die cum ipſo LVTHERO et PHILIPPO in perpetuo fuit commercio epiſtolico. 9) LAVRENT. QVENDEL, alias, immutato per MELANTHONEM eius nomine, SERPILIVS, qui in Comitiis Auguſtanis, A. 1530. cum Proteſt. praelegeretur Confeſſio, cum aliis ciuibus Hungaris interfuit; et redux multum in reformanda Eccleſia Scepuſiaca, inprimis XXIV Regalium Parochorum Conſiſtorio, praeſtitit. Exeunte autem hoc Saeculo, inclaruit ex ciuibus Hungaricis inter noſtrates etiam 1) ISAAC. ABRAHAMIDES HROCHOTIVS, *Veteroſolienſis*, qui A. 1595. VI. Kal. Sept. Vittebergae ſacros ſuſcepit ordines, et in patriam redux, Baymoczenſium Paſtor et Praepoſitus, Anno vero 1610. Orthodoxorum in Comit. Poſonienſi, Nitrienſi et Barſienſi, coetuum, in Synodo Solnenſi Superintendens conſtitutus eſt. Oratio eius in obitum GEORGII THVRZONIS, Palatini, Leutſch. 1617. in 4. typis DAN. SCHVLZII prodiit. Epiſtola vero ad Theologos Vitteberg. inprimis MEISNERVM 1614. IV. Idus Maii in cauſſa publica Baymocio data, et nondum edita, ſupereſt in Collectione Epiſt. MS. Vffenbachio-Wolfiana, Vol. VII. fol. num. 104. n. E. 11. ſignato. 2) IOANNES ZALWEIN, *Neoſolienſis*, qui poſtquam per ſeptennium apud nos commoratus fuerat, An. 1594 in patriam diſceſſit ſuam. Sequentis Saeculi anno 1616 nomen ſuum apud nos profeſſus eſt, Vir Illuſtriſſimus atque generoſo ſanguine natus, IOAN. OSZTROZITH DE GHYLETHINCZ, LIBER BARO IN ILLAWA, etc. magnum Gentis ſuae decus, qui poſtquam in Gymnaſio *Iglouienſi* in Patria ſtudia humaniora abſoluiſſet, ex voluntate atque conſilio Patruelis ſui STEPHANI OSZTROZITH Vittebergam noſtram adiit, ac ipſe ſemel etiam in cathedra de *Maieſtatis abſoluta poteſtate* Praeſ. M. GEORGIO GVTKIO A. 1616 publice diſputauit. Cui iungendus eſt 2) IOAN. AB HELLENBACH, *Cremnicienſis*, qui non Praeſidente ſolum M. ERNESTO BACKIO, An. 1658 *Logicarum Quaeſtionum* manipulum publice defendit; verum antea etiam pro roſtris ſtetit Academicis, atque in acroaterio maiori *Orationem pro Hungaria* habuit, quae ipſa etiam typis OELSCHLE-

 GELIA-

GELIANIS An. 1656 lucem vidit publicam. Et 3) MATTHIAS A SCHMIDEGG, *Cremnic.* qui Praeſ. M. ESAI. PILARIK Hung. A. 1680. Diſp. *de Eclipſi Lunae* defendit; atque 4) IO. IAC. MASCHKO, itidem Nobil. Hung. Adde illis adhuc, Viros illuſtri genere natos, et qui primo omnium loco commemorari debuerunt, MART. BERZEWICZ; ANDR. MAGO'CHI, DOMINVM IN REYECZ ET THORNA, doctrinae, Religionis et Litterarum Fautorem ſuo tempore munificentiſſimum, cui MATTHAEVS DRESSERVS ſuum *de Feſtis Libr.* A. 1584. in 8. Erford. editum dicauit, praemiſſa Epiſtola, in qua conuerſionem Hungarorum, virtutes MAGO'CHII, et alia quaedam momenta litteraria commemorat; MICH. FORGA'CS, L. B. DE GYIMES; SIGISM. MARIA'SI DE MARCKVSFALVA; THOMAM ESTERHA'ZY DE GALANTHA; MARC. HORWA'TH, aliter STANSITH DE GRADECZ, BAR. IN NEERER; NICOL. HORWA'TH MLADOSSEWICZ DE KÖRMEND; CASP. SZVNYOGH DE IESZENICZE, L. B. IN BVDETIN; GABR. KECZER DE LYPOCZ; FRANC. ARMBRVSTER, COM. A THVRZO morum praefectum, alioſque plures, qui omnes Saeculo XVI et XVII clari, litteris apud nos aſſidue nauarunt operam. Ex nouiſſimis autem temporibus omnem abſoluent paginam, Viri undiquaque clariſſimi, nominatim 1) DAN. IESZENSZKY DE KIS IESZEN, Nobil. *Thurocz.* Phil. M. et Poeta C. L. 2) SAM. BOHVS DE FELSŐ PETŐFALVA, qui pro roſtris Academicis in publica ſollemnitate XI. Kal. Iun. 1712 Orationem dixit in *Conſecrationem* CAROLI VI. REGIS HVNGARIAE etc. quae ipſa Oratio cum Programmate BERGERI noſtri inuitatorio, lucem vidit publicam, in Patriam autem ſuam redux, de omni republica praeclare meruit, memoriamque ſui nominis et poſt fata, multis monimentis reliquit immortalem. 3) GEORGIVS GERHART, itidem Praenobilis Hungarus, atque aeterna laude digni WEIDLERI noſtri, nuper admodum nobis erepti, commilito atque amicus intimus. 4) IO. CHRISTO-

STOPHORVS DECCARDVS, *Gymnaſii Sopronienſis* Rector hodie-num emeritus, Vir eloquentiſſimus, priſcique latini ſermonis in Patria ſua vindex, atque ob amorem etiam in amoeniſſimum naturalis hiſtoriae atque botanices inprimis ſtudium, omni mea laude maior. 5) DAN. HAYNO'CZY, prioris diſcipulus, poſtea collega, gener, atque in Rectoratu ſucceſſor. Orator facundiſſimus, et propter laudationem funebrem EVGENIO Sabaudiae Principi dicatam, Societati Latinae Ienenſi adſcriptus, qui 1747 diem ſuum obiit. 6) IO. GODOFREDVS OERTELIVS, Sacrorum apud *Sopronienſes* A. C. Antiſtes hodie Primarius, atque de ciuitatis chriſtianae puriori coetu, reque litteraria uniuerſa immortaliter meritus, multiſque etiam ſcriptis eruditiſſimis inclutus. 7) M. IOSEPHVS TORKOS, et 8) MICH. TORKOS, fratres germani, ſupraque laudati ANDREAE filii, Quorum ILLE, qui hungarica inprimis Patris ſui N. T. verſione, a ſe curata, maxime inclaruit, apud *Sempronienſes;* HIC apud *Modrenſes* eccleſiae Dei praeſunt et maiorum ſuorum veſtigiis ſtrenue inſiſtunt. 9) DANIEL KRMANN, V. D. M. in *Miiava* et Superintendens; Vir de Eccleſia Euangel. immortaliter meritus, atque ob fatorum violentiam maxime memorabilis. 10) GEORGIVS AMBROSIVS, Paſtor *Cſetnekienſis*, et Superintendens, ſcriptis innumeris, inprimis Syſtemate Theol. Dogm. bohemico idiomate conſcripto, clarus. 11) MATTHIAS AVGVSTINI, et 12) SAMVEL HRVSCOWICZ; ILLE *Trenchin.* HIC *Neoſolienſis* Eccleſiae Euangelicae Antiſtes atque Superintendens; qui ante annos aliquot fatis functi ſunt. 13) DAN. SARTORIVS; et denique 14) IOAN. HLIVAY, uterque apud *Neoſolienſes* hodie V. D. Miniſter, ſcriptiſque etiam clariſſimus; et reliqui, quos commemorare chartae anguſtia prohibet, quorum tamen honos, laudes et nomina, ſemper apud gratos meritorum ſuorum aeſtimatores manebunt

Habes, ORNATISSIME FABRI, primas quaſi Hiſtoriolae de Ciuium TVORVM in Academiam noſtram meritis, lineas, quarum tamen uberiorem expoſitionem TIBI relinquo, qui de Patria TVA noſtraque Academia hac ratione optime mereberis. Habes exempla, in quibus imitandis, Academiam noſtram ornare, Patriae autem TVAE commoda atque decora promouere poteris certiſſime. Si enim verum eſt, quod memoriae proditum legimus, Q. MAX. P. SCIPIONEM, et alios ciuitatis Romanae praeclaros viros, ſolitos fuiſſe dicere, quum maiorum imagines intuerentur, vehementiſſime ſibi animum ad virtutem accendi: ſcio certe, has ciuium TVORVM imagines non minus ſaepe ſomnum excuſſiſſe, atque geometrice certo mihi aliiſque perſuadere poſſum omnibus, futurum, ut, memoria illorum, accenſa in pectore TVO flamma, creſcat in dies neque prius ſedetur, quam virtus TVA famam atque gloriam illorum adaequarit. Macte igitur hac TVA virtute, quo coepiſti tramite, ſtrenue perge, atque in ſolidiori nonſolum ſanctiorique excolenda diſciplina dies TVOS horaſque conſume; verum priſci illius etiam aeui deliciis amorem retine. Hae enim ſunt, quae ubique proſunt, et ſcientias alunt omnes, quae domi delectant, quae ruſticantur nobiſcum. Deum interim precor veneror que, ut ſaluum TE ſemper conſeruet et ſoſpitem, confectoque aliquando ſtudiorum curſu cariſſimae TVAE reſtituat Patriae, meque eum tunc videre patiatur diem, quo TE colant amentque omnes boni, ciuem Patria ſua digniſſimum, reipublicae delicium, noſtrae Academiae ornamentum, ſique addere et hoc liceat, praeſidium et dulce decus meum. Vale, et me ſemper amare perge. Scribebam e Muſeo ad diem X. IunI

A. CIƆ IƆ CC LVI

NOBI-

NOBILISSIMO
ATQVE
DOCTISSIMO RESPONDENTI

PAVLLO FABRI

AMICO CIVI ET CONTVBERNALI SVO

P· D· S

MVNERE DISSENTIENTIS FVNCTVS

MATTHIAS THOMMANN

NEOSOLIENSIS

N*on* TE *fugit*, AMICE, *ſolere me ſaepius vltimos annos et retruſam illam adoleſcentiae noſtrae memoriam recordari, ſiue, quod cogitatio vrbis, quae nos in hanc lucem editos ſinu ſuo prima excepit, et in qua nos eam aetatem transmiſimus, ſingulari quadam dulcedine gaudeat; ſiue, quod ipſi illi anni habeant aliquid, cuius recordatione defeſſa ſubinde moleſtis occupationibus mens adultior, molliter ac placide conquieſcat. Fallor vero, aut* TV *animo, quibus ſe aetas* TVA *ad maturitatem prouecta delectatura eſſet ſtudiis, praecipiens, imaginem eorum mihi,* TVIS, *quibus me frequentiſſime in littore Grani recreaſti ſermonibus, primis quaſi lineis deſignare ſiſtereque volebas ob oculos. Ita enim iam tum de ſuauitate elegantiorum litterarum diſſerebas, ac qui eam ſenſu percipiunt; nunc vero tanta induſtriae contentione in cultu earum verſaris, vt haud dubitanter colligam, non* TE *iis inanem quandam incogitantioris aetatulae loquacitatem, ſed animi ad altiora nati vim ſtimulumque prodidiſſe. Omnino,* LECTISSIME FABRI, *qui* TE *propius norunt, facile mihi adſentientur,*

entur; abeſſe TE *longius ab illis, qui, vel, quod natura ita in arctum compacto ſunt animo, vel exemplis et inſtitutis, vel aliis etiam rationibus adducti, vnius, quam neceſſariam vocant, diſciplinae limites nefas putant excedere.* TIBI *dulce eſt, impeditis ſatis itineribus in diſiunctiſſimas etiam regiones, facem tamen praeferente ratione, euagari, inprimis ſi ſpes acceſſerit, theſauros inde referendi, quibus tanquam ſpoliis Aegypti, reginam illam ſcientiarum, quam prae caeteris veneraris, exornare queas. Hanc egregiam indolem* TVAM *quoties tacita mente exiſtimo, deſino mirari,* TE *caeterarum rerum, quas alii expetunt, tantum non paenitus reſtinxiſſe cupiditatem, idque potius agere, quo Viros elegantiſſimis quibuſque litteris politiſſimos, vſu et conſuetudine* TIBI *iungas, habeas vti ſpirantia, quae quotidie intuearis, et ad quae* TE *effingas exempla, diſcaſque ex ſermonibus eorum, quae in libris vel fruſtra, vel ſummo nonniſi cum labore quaeſiueris. Non eſt alia, mihi crede, qua ad laudem ingrediaris orbita: ſupereſt proinde, vt hanc tot iam* TVIS *a bene longo tempore ſignatam veſtigiis, pleno aequabilique greſſu indefeſſus perſequaris, de praemiis honoris et emolumenti, metam ornantibus, ſecurus. Quod vti* TE *facturum, ducto e natura mentis* TVAE *augurio, confido, ita iam effuſiſſime gaudeo, animo proſpiciens, fore, vt, quocum nunc lege amicitiae laudem virtutis in liberalis diſceptationis circulis (quod bene eueniat!) ſeruandae, partieris, eum olim in ſocietatem voluptatis adſciſcas, quae* TIBI *e fructibus exantlatorum laborum toto vitae curſu ſubnaſcetur. Vale.*

Vittenbergae, e muſeo biblioth. hung. IV Idus IunI

CIↃ IↃ CC LVI

DE
ANTIQVITATIBVS MEDICINAE AEGYPTIACIS EXERCITATIO

§. I

Superbam aliquando Aegyptum, tot gentium dominam, tot populorum matrem, tot monimentorum omne humanum ingenium excedentium theatrum, non antiquitatis ſolum ſuae praeſtitiſſe ſplendore,[a] non bellis, non pace ſolum excelluiſſe; verum omnium fere etiam artium atque diſciplinarum foecundiſſimam fuiſſe matrem feliciſſimamque magiſtram,[b] vetus laudat memoria, nec quemquam eſſe arbitror, qui id ignoret. Non attingam Philoſophorum in praeſenti ſapientumque hominum, quibus gloriabatur, placita; non Aſtronomorum inter ſtellas errantes errantium ſpeculationes; non titillantes ſtridenteſque chordarum vibrationes, non Poetarum carmina atque incantamenta; non Hiſtoricorum

narrationes; tacebo pulcerrima picturae monimenta, ſtupenda plane rei ſtatuariae atque architectonicae opera: ad ſolam liceat mihi iam-iam prouocare artem medicam, atque, ut fidem promiſſi, nuper datam, cum de *Medicina apud veteres Ebraeos* diſputaremus, aliqua ex parte liberem, oſtendere, eam, niſi omnium prima ſua initia, maxime inſignia ſaltem Niligenis augmenta debere atque incrementa

a) Aegyptios pro antiquiſſima ſeſe olim venditaſſe gente, immo rerum ſuarum origines, longe ſupra diluuium, ipſaque, ſi Diis placet, extendiſſe mundi initia, conſtat. Hoc vero, quamuis inſana ſit vanitas; omnis tamen vetuſtas deneganda illis non eſt. Legendus eſt, qui praeclare hoc argumentum atque ex inſtituto expoſuit olim, Iacobvs Perizonivs, *Originibus Babylon. atque Aegypt.* Lugd. Bat. 1711. 8. *Cap. II. pag.* 17. 18

b) Ita Aegyptum in artibus reperiundis ſollertem, atque in cognitione rerum indaganda ſagacem praedicat A. Gellivs *Noct. Att. Lib. XI. Cap. XVIII. p.* 609. edit cum Comment. A. Thysii, et Iac. Oiselii; Lugd Bat. 1666. 8. Graecae autem Latinaeque ſapientiae magiſtram laudat eam, hocque nomine contra Conringivm, qui expertes illos omnis ſcientiae aut valde mediocriter ea imbutos fuiſſe, nullo certe idoneo argumento niſus, contendit, vindicat atque defendit Olavs Borrichivs, de *Hermetis Aegyptiorum et Chemicorum ſapientia*; Hafniae 1674. 4. *Cap. I.* cui iunge ex compluribus aliis, Athan. Kircheri *Oedipum Aegyptiacum*, ſ. uniuerſalis Hieroglyph. vet. doctr. inſtaurat. *Tom. III.* Romae 1652. ſeqq. fol. Philonem *Ebraeum* de *vita Moſis*, quae extat inter Opp. eius iunctim edita, gr. et lat. ex rec. et cum notis et obſeruatt. Thomae Mangey; Lond. 1742. fol.

Lib.

Lib. I. SIXTVM SENENSEM *Biblioth. S.* Frf. 1575. fol. *Lib. II.* ubi illa ab ipſo vocatur חכמת מצרוים, et in quatuor diuiditur ſpecies, Mathematicam videlicet, Phyſicam, Ethicam et Theologicam, prior vero iterum in Geometriam, Aſtronomiam, Arithmeticam et Muſicam, ſubiunctis rationibus, cur potiſſimum haec ab Aegyptiis ſtudia exculta fuerint. Adde PETRVM LAMBECIVM, *Prodrom. Hiſtor. literar.* ex edit. IO. ALB. FABRICII; Hamb. 1710. fol. *p. 143. ſeqq.* DAN. GE. MORHOFIVM *Polyhiſt.* iuxta edit. nouiſſ. *Tom. II. Lib. II. Part. I. Cap. IV. p. 167. ſeqq.* IO. FRANC. BVDDEVM, *Hiſt. Eccl. V. T. Tom. I. p. 448. ſeq.* nec non HERRM. CONRINGIVM, in Diſſertt. *de Antiquitatibus Academicis*, iuxta edit. S. Venerab. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI; Goetting. 1739. 4. Diſſ. I. *de ſtatu ſcholarum ubique terrarum ac gentium, inde ab antiquiſſ. memoria uſque ad Academiarum in Europa ortum, p. 1. atque 207. ſeq.* atque IMMANVEL TRAVGOTT GARMANNVM, Exercitatt. III. de *ſapientia Aegyptiorum*; Vitemb. 1710. Nec diſſentit S. Scriptura. De Moſe enim Stephanus dicit, *eum eruditum fuiſſe in omni ſapientia Aegyptiorum*, *Act. VII, 22.* hoc eſt, *mortalium ſuo aeuo fuiſſe ſapientiſſimum;* ex cuius ipſius etiam Scripturae teſtimonio, *1 Reg. IV, 30.* tantae apud gentem Ebraeam illa fuit auctoritatis, ut cum Salomonis comparari ſapientia meruerit; quibus denique addendum eſt, quod apud Eſaiam vatem reges Aegyptiorum glorientur eſſe ſe בני חכמים *filios ſapientum*, *XIX, 11.* hoc eſt, qui ab antiquiſſimis iam temporibus ſapientiam a Philoſophis et Sacerdotibus acceperint; ad quem locum conferri meretur CLEMENTIS ALEXANDR. locus integer, *Stromatum Lib. VI. Cap. IV.* de quo infra ex inſtituto

§. II

Non igitur animus eſt, nec, queis ſcriptionem circumdedimus noſtram, patiuntur limites, pleno veluti velo excurrere in altum,

 anxie-

anxieque anquirere, unde ſuum Aegyptus ſortita fuerit nomen; num a nigro forſan, ſi Diis placet, incolarum colore;[a] aut potius ab urbe *Coptos*,[b] communi illo Arabum quondam atque Aegyptiorum emporio:[c] hoc nobis in praeſenti dixiſſe ſufficiat, ab antiquiſſimis inde temporibus, dictam etiam fuiſſe illam *terram Cham*, infallibili, niſi fallat me opinio, documento, quod poſt uniuerſalem illam, toti terrarum orbi tam aduerſam eluuionem, *Chamo*, ex Noachi filiis natu minimo, ipſa ſuffragante hac in re Scriptura ſacra, tota illa obtigerit regio[d]

a) Ita AVCTOR putat *Etymologici M. ex recenſ. et cum notis* FR. SYLBVRGII, e typogr. HENR. COMMELINI, 1594. fol. Adductis enim variis vocis huius originationibus, ſequentem in modum ſententiam ſuam explicat: Ἡ *παρα το αἰθω, το καιω, ὁι γαρ ἐν Ἀιγυπτῳ ἀνθρωποι κεκαυμενοι ἐισιν εκ της σφοδρας τȣ ἡλιȣ φορας*. Sic pari ratione HESYCHIVS *Lex. Gr. cum var. doctor. viror. notis*, cura CORN. SCHREVELII; Lugd. Bat. 1668. vocem *ἀιγυπτιωσαι* per *denigrare* interpretatur. Atque PLVTARCHVS, quem, quod Aegyptii originem ſuam a *Chamo* repetierint, latuiſſe videtur, neque minus dictos illos ita fuiſſe exiſtimat, *ἐτι την Ἀιγυπτον ἐν τοις μαλιςα μελαγγιον ȣσαν ὡσπερ τȣ μελαν τȣ ὀφθαλμȣ χημια καλȣσιν*. *Lib. de Iſide atque Oſiride* infra uberius commemorando, *p. m. 55*

b) Huius deriuationis plures ſunt auctores, hancque opinionis ſuae dant rationem; quia ſcil. in hac urbe, quam PLINIVS *Hiſt. Nat. Lib. VI. Cap. XXIII.* laudat, nuncius allatus fuerit Iſidi, primae, ſi fabula vera eſt, Aegyptiorum reginae, de Oſiridis, coniugis ſui, caede, urbem hanc dictam fuiſſe *Copht*, utpote quae vox *priuationem* denotat, incolas vero nomen inde accepiſſe *Cophtitarum* et linguam eorum appellatam

fuiſſe

fuiſſe *Copticam.* Poſtero autem die tota regio dicta fuit אי *Koptos;* Ebraeorum namque אי inſulam ſignificat ſiue prouinciam, unde haud improbabiliter Graecorum ortum eſt αια, hinc αικυπτος, aut per errorem poſtea ſcribarum, quoniam γ et κ literae unius fere ſunt ſoni, ſiue ut vocantur *palatinae*, αἰγυπτος

c) Plures vocis huius deriuationes laudatus dedit GARMANNVS, qui hoc de argumento cumprimis conſulendus venit

d) Ita enim nomine *terrae Cham*, Aegyptum dicit Pſaltes, *Pſ. LXXVIII, 51.* alia ſacrae Scripturae atque profanorum auctorum loca, in quibus eodem venire ſolet nomine, ut taceamus

§. III

Et de ipſo hoc quidem *Chamo*, ad ipſam antequam progrediamur conſiderandam *Medicinam Aegyptiacam*, agendum nunc nobis eſt uberius. Fuit ille ex tribus, quos Scriptura deſignat, *Noachi* filiis, ultimus atque natu minimus. Quod quidem ipſum aſſertum, quamquam plurimis lectoribus, qui, ideo paruum eum a Scriptura appellatum fuiſſe, credunt, non quidem quod talis fuerit aetate, ſed dignitate potius, bilem moturum eſſe, facile praeuideo praeſentioque; ſpem tamen nobis probandi illud faciunt diuinae literae, vimque confirmandi, quod rei caput eſt, magnam egregiamque pollicentur [a]

a) Vid. IO. WILH. SPECNERI Diſp. *de numero ordineque filiorum Noachi;* Vitemb. 1717

§. IIII

Hicque ille ipſe eſt *Chamus*, a quo gentium atque populorum orientalium omnium, ſicuti eorum, qui reliquas orbis incolunt

partes,

partes, a fratribus eius, *Semo* atque *Iapheto*, primae deriuandae ſunt origines.[a] Hic ille eſt ipſe, qui omnes etiam artes, ſcientias atque diſciplinas, ante diluuium inuentas, atque a maioribus ſuis acceptas, in hac regione, quanta quanta ea fuerit, propagauit, filioſque ſuos eas docuit, a quibus deinceps ad poſteros eorum, larga peruenerunt meſſe, nouaque in dies ceperunt incrementa. Hic ille eſt ipſe, qui ea propter etiam, *Zoroaſtris* procul dubio, nomine, ut pote quem omnis ſapientiae patrem atque magiſtrum ſuperſtitioſa laudauit vetuſtas, olim ſuo quodam iure atque merito, fuit celebratus[b]

a) Noachum cum uxore tribuſque filiis ac totidem nuribus, ſolos poſt diluuium ſuperſtites fuiſſe, a quibus, non omnes ſolum, quotquot unquam poſt illam uniuerſalem inundationem ad haec uſque tempora exſtitere, populi ſuam traxerunt originem, verum inter quos etiam ipſos, omnis mundus iam tum fuit partitus, praeter Scripturae ſacrae teſtimonium, *Geneſ. X.* ad quem locum illuſtrandum conf. BVDDEVS *l. c. p. 217. ſeq.* ab antiquiſſimis inde temporibus, omnes etiam tradiderunt, qui unquam hac in arena militarunt, auctores profani. Immo adeo certa, unanimique conſenſu recepta fuit haec ſententia, ut in haereticorum etiam ordines, aliter ſentientes, quondam fuerint relati; veluti EPIPHANIVS *aduerſ. haereticos, Lib. II.* qui extat inter *Opp. eius iunctim edita, Gr. cum verſ. lat. et animaduerſ.* DION. PETAVII, Colon. 1682. fol. *Tom. III. p. 703.* PHILASTRIVS, Epiſc. Brixienſ. *de haereſibus*, cum notis IO. ALB. FABRICII; Hamb. 1718. 8. *Haereſ. CXVIII.* aliique luculenter ſatis teſtantur

b) Bene quidem ſcio, ſcriptores inter ſe non conuenire, quisnam ille fuerit *Zoroaſter*, alioſque Abrahamum, alios Ioſephum, alios alium hoc

nomine

nomine fuiſſe celebratum, exiſtimare, ſuiſque quemlibet ſententiam ſuam confirmare argumentis neque indoctis, neque ineptis; uti diſp. citata, hoc de argumento olim expoſui fuſius: interim tamen ego non diffiteor, *Chamum*, aut filium etiam eius *Mizraimum* optime per illum intelligi poſſe, utpote a quibus, uti omnium Orientis populorum origo, ita omnis etiam eorum commode deriuanda venit ſcientia ſapientiaque. Conf. SCHVLZIVS *Hiſt. Med. p. 17 et 49*

§. V

Et quamquam quidem, quales et quaenam illae fuerint artes, quae ante diluuium in uſu erant, atque poſt illud a filiis Noachi, et in Oriente potiſſimum a *Chamo*, propagatae ſunt, definiri adeo facili negotio non poſſit: dubium tamen fore arbitror nullum, quin illae huc potiſſimum veniant referendae, quae propter utilitatem, neceſſitatem atque praeſtantiam ſuam prae aliis ſeſe commendabant. Quae ſi ita ſint, quid impedit, quo minus credamus, principem inter eas atque primarium medicinam occupaſſe locum, cuius faciendae, cum, ſuperato diluuio, cauſſae morborum in dies augerentur, opportunior non ſolum, quam ante, ſeſe praebebat occaſio, verum ad cuius exercitium etiam, inducta eo ipſo, mortales impellebat neceſſitas. Tantum autem abeſt, ut illam eodem modo comparatam fuiſſe quis credat, quemadmodum eam nunc quidem habemus; ut potius, ea illius, quae vulgo tradi ſolebat, fuerit indoles, ea ipſius, quam excolebant, ratio, ea natura, ut, qui fugitiuo tantum, ut aiunt, eam contemplatur oculo, imaginari ſibi facile poſſit, fabuloſam illam admodum fuiſſe, anilibuſque atque ridiculis commentis conſpurcatiſſimam; ita, ut qui certas a

Chamo artis medicae partes, atque inter has ſpeciatim Chymiam atque Alchymiam inuentas fuiſſe credunt, a ſapientioribus fidem nunquam mereantur aut mereri poſſint

§. VI

A primordiis itaque ut incipiamus, atque pro inſtituti noſtri ratione, circa ſolam ſubſiſtamus *Medicinam Aegypti*, ſiquidem de caeterorum, qui *Chamo* ſuos debent natales, populorum Orientalium,[a] alio tempore opportunior diſſerendi dabitur occaſio; obtigit quidem Aegyptus filio eius ſecundo *Mizraimo*,[b] ab eoque omnes ſuae ſapientiae accepit partes. Atque de hoc, ſi nihil etiam dici poſſet, quam quod falſae ſimul religionis atque ſuperſtitionis a patre acceptae fuerit propagator; vel id ſolum ad paenitius cognoſcendam eius hiſtoriam nos incitare atque alacriores reddere, iure deberet. Quamuis enim inter omnes, qui aliqua ſaltim antiquiſſimorum illorum temporum cognitione imbuti ſunt, ſatis ſuperque conſtet, quo potiſſimum tempore ſimulacrorum ibi coepèrit cultus, certo determinari haud poſſe, quinimmo nec defuerint, qui Moſis adhuc tempore idololatriam nondum in Aegypto inualuiſſe credunt:[c] negandum tamen non eſt, varia non ſolum ipſius verae religionis veſtigia ſuperſtitione hac inuoluta atque obſcurata, apud eos deprehendi; verum artem etiam medicam ab ipſis ſuis diis deabuſque ſeſe accepiſſe, certo illos ſibi perſuadere certius[d]

a) Ita enim a primo eius filio, cui *Chus* nomen eſt, Aethiopes, Midianitas, ipſoſque antiquos illos Arabes deſcendiſſe, facili probari poteſt negotio, a reliquis vero filiis reliquas Africae gentes ortas fuiſſe, alio tempore docebimus

b) Fue-

b) Fuerunt ſcilicet haud pauci, qui, ſitne regionis, vel gentis, aut unius hominis illud nomen, acriter inter ſe diſputarunt, atque qui prius defendunt, ex forma, ut loqui ſolent, potiſſimum duali, regionis nomen fuiſſe, inde hoc concludunt, quod Aegyptum in ſuperiorem atque inferiorem diuiſam fuiſſe conſtet, cuius ſententiae patroni ſunt SAM. BOCHARTVS *Geogr. Sacr.* ſiue *Phaleg et Canaan;* Lugd. Bat. 1692. fol. quae *Operum ei. Tom.* eſt *I. Part. I. Lib. IV. Cap. XXIV.* atque IAC. PERIZONIVS loc. cit. *de Aegyptiacae originis inueſtigatione, Cap. I. p. 6.* alii tamen exemplo nominis אפרים incitati, hominis illud etiam nomen fuiſſe, comprobare voluerunt argumentis ſatis validis. Quicquid autem huius ſit, cum ex perpetuo Scripturae S. uſu ſatis conſtet, *Mizraim* eſſe Aegyptum; in confeſſo etiam eſt, et extra omnem poſitum dubitationem, huncce Chami filium, cui id nominis datum, Niligenarum auctorem eſſe atque conditorem

c) Maximum vero hic committi errorem, pluribus probari poteſt, ſummoque demonſtratum iuit ſtudio S. V. atque Magnif. SIGISM. IAC. BAVMGARTEN, in eccleſiae commodum decuſque orbis litterati natus, in Praef. atque notis ad *Tom. I. Hiſt. uniuerſal.* quae cura EIVS ex Anglico in vernaculum conuertitur idioma, ubi quidem omnes huc ſpectantes ſcriptores ſedulo collecti ſiſtuntur, quibus iungendus eſt BERN. MONTFAVCONIVS Opere ſplendidiſſimo, quod inſcribitur: *L' Antiquité expliquée et repreſentée en Figures,* caet. *Tomes V. avec le Supplem. par le Même, Tom. V.* à Paris 1722–1724. Voll. XV. atque Cl. SEMLERVS in compendio illo Operis MONTEFALCONII, quod adhuc Norimbergae ſub prelo ſudat, *pag. 159.* Nec improbabile eſt, ipſum vitulum aureum, ab Iſraelitis in loco deſerto erectum ad exemplum *Apidis* fuiſſe, quem inter praecipua Aegyptiorum numina primarium occupaſſe locum, atque ſub tauri figura celebratum fuiſſe, certum eſt

 d) Vid.

d) Vid. Plinivm *Hiſt. Nat. Lib. VII. Cap. LVI.* atque ex recentioribus, Hieron. Mercvrialem, Virum omni liberali doctrina abundantiſſimum, *Var. Lect.* Venet. 1601. 4. *Lib. II. Cap. XVIII*

§. VII

Non quidem vacat, quamuis haud deſint dicenti res, proemiari diutius, atque copioſius in omnia Aegyptiorum anquirere religionis capita, aut argumentum hoc diligentius perſequi; neque ſane, ſi bene me noui, meum eſt, virorum, qui cum laude id egerunt, quosque omnino adeant, quibus libet paullo paenitius ea contemplari,[a] ſcrinia vano compilare labore: hoc tamen ab inſtituto noſtro alienum plane non erit, indicare, quod, quae habuere numina, duabus potiſſimum diſtinxerint claſſibus, quarum prior octo,[b] altera vero duodecim complectebatur. Poſt hos autem eos maxime diuinitatis dignabantur honore, qui humano quidem ſanguine nati erant, ſed quos poſt ingentia facta, ardens ad aethera euehebat virtus, atque inter quos primum ſuum eumque antiquiſſimum Regem Osiridem cum ſua collocabant coniuge Iside, filioque Harpocrate ſiue Horo, quosque non diuinis ſolum afficiebant honoribus, verum ſub quibus omnia etiam reliqua ſua numina, intelligere atque venerari videntur[c].

a) Sunt hi: Diodorvs Sicvlvs, *Bibliothec. Hiſtor.* ex edit. Lavr. Rhodomanni, Hanou. 1604. fol. *Lib. I.* Evsebivs, *Praeparat. Euangelica* ex edit. Franc. Vigerii, Colon. 1688. fol. *Lib. III. Cap. IV.* Sextvs Empiricvs, *aduerſ. Mathematic. Lib. V.* qui extat inter *Opp.*

Eius

Eius gr. et *lat.* iunctim edita, *cura et cum notis* Io. Alb. Fabricii, Lipſ. 1718. *p. 343.* inprimis autem, qui recentiſſime hac opera praeclare perfunctus eſt, orbis literarii praecipuum atque primarium hodie decus, Summe Venerabilis Pavlvs Ernestvs Iablonsky, in *Pantheo Aegyptiaco*, ſiue de *Diis Aegyptiorum commentario* eruditiſſimo; Frf. Viadr. 1750. 8

b) Horum octo Deorum Aegyptiacorum primariorum, omni ab iis cultorum religione, meminit Scriptor, ſi quidam, longe vetuſtiſſimus, Herodotvs, *Hiſtoriarum*, ex editione Graeco-Latina, *cura et cum notis* Iac. Gronovii, Lugd. Bat. 1715. fol. *Lib. II. Cap. XLVI.* Totidem etiam plus ſimplici vice numerantur in verſibus Orphicis. Conf. Theonem Smyrnaeum *de Muſica*, ab Ismaele Bvllialdo, viro doctiſſimo, commentario illuſtratum, *Cap. XLVII.* Evsebivm, *Praeparat. Euangel. Lib. III. Cap. IX.* Mevrsii *Denar. Pythagoric. pag. 94. ſeq.* in Iac. Gronovii *Antiquitatt. Graec. Theſ. Tom. IX. p. 1329.* recuſ. Inprimis autem apud Theonem *loc. cit.* haec ſpectat huc inſcriptio aegyptiaca:

ΠΡΕΣΒΥΤΑΤΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΠΑΝΤΩΝ ΟΣΙΡΙΣ. ΘΕΟΙΣ ΑΘΑΝΑΤΟΙΣ, ΠΝΕΥΜΑΤΙ, ΚΑΙ ΟΥΡΑΝΩΙ, ΗΛΙΩΙ, ΚΑΙ ΣΕΛΙΝΗ, ΚΑΙ ΓΗ, ΚΑΙ ΝΥΚΤΙ, ΚΑΙ ΗΜΕΡΑΙ, ΚΑΙ ΠΑΤΡΙ ΤΩΝ ΟΝΤΩΝ ΚΑΙ ΕΣΟΜΕΝΩΝ, ΕΡΩΤΙ ΜΝΗΜΕΙΑ ΤΗΣ ΑΥΤΟΥ ΑΡΕΤΗΣ ΒΙΟΥ ΣΥΝΤΑΞΕΩΣ

Hoc eſt

ANTIQVISSIMVS OMNIVM REX, OSIRIS. DIIS IMMORTALIBVS, SPIRITVI ET COELO, SOLI ET LVNAE, ET TERRAE ET NOCTI, ET DIEI ET PATRI EORVM QVAE SVNT, QVAEQVE FVTVRA SVNT, AMORI, MONVMENTVM HOC POSVIT VIRTVTIS IPSIVS ET VITAE AB IPSO ORDINATAE

c) Ea ſine dubio ratio effecit, ut PLVTARCHVS librum, quo omnem Theologiam Aegyptiacam explicare voluit, *de Iſide et Oſiride* inſcripſerit, qui praeter alias editiones, PLVTARCHI in operibus iunctim editis, prodiit etiam nouiſſime ſeparatim *Graece et Latine cum notis variorum;* Cantabrigiae 1744. 8. atque germanico idiomate, cura IO. SALOM. SEMLERI, Wratisl. 1748. 8. Caeterum autem vix ac ne vix quidem teſtis locuples eſſe videtur PLVTARCHVS, de religione Aegyptiorum antiquiſſima, ſed potius illa tempora, cum recentioribus, in quibus populus hic iam graeciſſabat, confudiſſe videtur

§. VIII

Iam vero *Iſidem* atque *Oſiridem*, quibus prognatos ſcribam parentibus, incertus in variis auctorum ſum opinionibus, cuius quidem inconſtantiae nullam aliam, quam hanc cum IABLONSKIO arbitror eſſe cauſſam, quoniam Graeci, ex quibus omnis Aegyptiorum haurienda eſt hiſtoria, relatas ſibi ab Aegyptiis traditiones, aut minus recte aſſequuti fuerunt, aut vehementer ſaltem eas adulterauere. *Oſiridem* fratrem fuiſſe *Iſidis*, quem deinceps viro tempeſtiua ſocium ſibi genialis adſciuiſſet lecti, PLVTARCHVS exiſtimat;

mat; filium autem illum *Iſidis* fuiſſe, LACTANTIVS, MINVC. FELIX, et LAVR. PIGNORIVS perhibent; alii denique, quo magis ineptum aliquid excogitari vix poteſt, fuiſſe eos dicunt in utero materno gemellos, hicque inter ſe coiuiſſe, atque inde grauidam *Iſidem* factam in ipſo utero peperiſſe *Horum*, ſicque omnes tres in lucem prodiiſſe ſimul [a])

a) Plura de genealogia origineque *Iſidis* atque *Oſiridis* expendit Celeb. IABLONSKIVS *loc. cit. p. 140.* ubi ſummo etiam ſtudio in veram nominis *Oſiris* inquirit originem

§. VIIII

Sed quid eſt, quod hiſce opinationum diuortiis paenitius introſpiciendis, diu immoremur? Magis inclinat animus, neque eſt, niſi fallor, longe ab re alienum, inquirere potius, quid praeſtiterit OSIRIS, quod tantum apud ſuos adeptus fuerit nomen. Inclytum itaque eius in Aegypto regnum maxime pacis florentibus ſtudiis fuit; ſique libet credere vetuſtae rerum famae, non bos arator, non mitiores hucuſque fuerunt fruges. Quibus perſpectis, totus OSIRIS, ut fertur, eam vertebatur in curam, ut agrorum incolarumque miteſceret fera natura, arareque terram inſtitueret. Ita enim iam canit TIBVLLVS: [a])

Primus aratra manu ſollerti fecit OSIRIS,
Et teneram ferro ſollicitauit humum.
Primus inexpertae commiſit ſemina terrae,
Pomaque non notis legit de arboribus.
Hic docuit teneram palis adiungere vitem, [b])
Hic viridem dura cedere falce comam.

Sicque

Sicque rebus ſuis domi bene conſtitutis, in alias etiam terrarum plagas magnum eum inſtituiſſe iter et aduſque eſſe in Europae regiones progreſſum, DIODORVS memorat SICVLVS, eadem ut exteris exhiberet beneficia, potumque etiam ex hordeo, uti quidam addunt, parandi oſtenderet rationem [c]

a) *Carm. Lib. I. Eleg. VIII.* iuxta edit. IANI BROCKHVSII; Amſt. 1708. 4

b) Negat quidem hoc Clar. IABLONSKY *loc. cit. pag. 130.* magnumque aduerſus religionem Aegyptiacam, aſſerto hoc committi putat piaculum, utpote qua, prouocans ad PLVTARCHVM, vino aliquid ineſſe peſtiferi, ſtatuebatur; Sed quod pace tanti Viri dixerim, aduerſari Eius ſententia videtur Scripturae S. qua duce *Gen. XXXX, 1-5. 9-13.* expreſſis edocemur verbis, vini uſum Aegyptiis utique fuiſſe in conſuetis

c) Vid. DIOD. SIC. *loc. cit. Lib. I.* atque MARTIANVS CAPELLA *Satyric. Lib. II. pag. 39.* iuxta edit. HVG. GROTII; Antw. 1599. 8

§. X

Praeter ea autem, quae in antecedentibus expoſuimus, praeſtita ab OSIRIDE populis ſuis beneficia, regiaeque in ſubditos propenſionis documenta, quam maxime commemorabile adhuc eſt illud, quod inter inuentores medicinae primum ille occupet locum. [a] Atque, ſi verum eſt, quod, ſicuti quidam haud male interpretati fuerunt, *Oſiris*, vox ſit coptica, quaſi *Vdſie-re*, hocque βασιλεα σωτηρα, *regem ſeruatorem*, aut etiam αιτιον της σωτηριας, *ſalutis auctorem* ſiue *cauſſam*, uti linguae huius gnari uno profitentur ore, ſignificet, atque *Vdſie* ſiue *Vſe* Aegyptiis idem ſit ac σωζειν, *ſeruare*, *re* vero deſignet *regem*, aut etiam *facere*, adeoque

cauſſa-

cauſſalitatem ſubindicet; (quam ipſam originationem ſuo teſtimonio Plvtarchvs etiam comprobat, qui *Oſirim* ἀγαθοποιὸν *beneficum*, vel *bonorum* eſſe *cauſſam* docet:) quid quaeſo apparet manifeſtius, quam quod, uti innumera hoc comprobant exempla alia, a primariis, quae obiit, muneribus, nomen ſortitus ſit ſuum? quid clarius, quam, quod medendo etiam, ſalubribuſque conſiliis, ciuibus ſuis proſpexerit, curamque ſanitatis eorum geſſerit.

a) De hac ſcilicet antiquiſſimae gentes inter ſe certarunt fere omnes gloria, et quaelibet paenes ſe natam eam eſſe putauit, ſuiſque adſcripſit Diis. Caeteris itaque iam miſſis, de Aegyptiis hoc noſtris teſtantur, Plinivs, *Hiſt. Nat. Lib. VII. Cap. LVI.* Mercvrialis, *Var. Lect. Lib. II. Cap. XVIII.* aliique, de quibus conferri meretur Dan. Vinckivs, *Amoenitatt. Philol. med. p. 6. ſeqq*

§. XI

Magis tamen adhuc hoc ipſum ex iis, quae de Osiride uti olim, ita hodienum quoque proſtant, ſi recte ſentiam, numiſmatibus apparet, inſcriptionibus atque monimentis. Ita enim in prioribus atque ultimis communiſſime audit conservator, omnia vero, quibus ponitur, ſimulacra eo redeunt, ut *Deus* inde eluceat *ſalutaris*. Fingitur ille corpore plerumque humano, a calce uſque ad caput, quod nunc humanum, nunc accipitris eſt, quia ſcilicet, Aeliano teſte, viuida oculorum acie, rapidoque volatu reliquas omnes auis haec praecellat; [a)] in capite, quocunque ille etiam conſpiciatur, cornubus globuliſque plerumque inſtructus eſt, utpote quos in omnibus fere numinum Aegyptiacorum videre

licet ſimulacris. Interdum etiam ſub integra accipitris forma, in obeliſcis inprimis, aliiſque veteris Aegypti monimentis; interdum ſub ſpecie alius auis, cui roſtrum abſciſſum eſt; [b] interdum cum Sole in capite; interdum denique ſub forma Senis cum canibus, [c] effingi ſolet. Et quamuis ipſis hiſce ſub ſymbolis Solem, utpote quem ſub imagine Osiridis cultum fuiſſe [d] credunt, latitare, memoriae proditum ſit: magis tamen conſentaneum nobis videtur, nihil illis indicari aliud, quam quod deus ille fuerit ſalutaris, medicamque artem, niſi inuenerit, propagarit ſaltem, inuentiſque aliis auxerit quam plurimis.

a) De *Natura animalium* opere pererudito variaque doctrina refertiſſimo, quod cum animaduerſionibus Conr. Gesneri, et Dan. Gvil. Trilleri, curante Abrah. Gronovio, cum eiuſdem annotatt. prodiit Lond. 1744. 4. *Lib. VII. Cap. IX.* Vnde etiam diſcas, multos accipitres Soli ſacros a ſacerdotibus Ægyptiacis, alitos fuiſſe, hoſque ipſos eapropter *Hieracoboſcos*, hoc eſt, nutritores accipitrum dictos fuiſſe. Conſentit hac in re Plvtarchvs lib. cit. *de Iſide atque Oſiride*, ubi eandem rationem indicat; neque hoc ab alia eius nominis diſcrepat deriuatione, iuxta quam, teſte Diodoro Sicvlo, illud, *πολυοφθαλμον*, hoc eſt, *multoculum* deſignat; melius tamen adhuc a Coptico *oſch multum*, et *iri facere*, *multa facientem* ſignificare poteſt.

b) Quae quidem *Ibidem* indicare quibuſdam videtur, quod etiam verum eſſet, niſi alia nos contrarium credere iuberent, quae ab ea, uti infra exponemus, clyſterum uſum illos didiciſſe, eaque propter diuinis eam proſequutos etiam fuiſſe honoribus volunt, hincque abſciſſum roſtrum admittere haud ſinunt.

c) De his ſcilicet Aelianvs teſtis eſt, *loc. cit. Lib. X. Cap. XLV.* *Iſidem*

eos

eos in quaerendo *Oſiride* aliquando adiuuaſſe, feraſque beſtias forte occurrentes abegiſſe, unde ii, non in magno ſolum apud poſteros erant honore; verum etiam factum inde eſſe ſuſpicor, ut DIODORVS *Anubim* producat, hoc eſt Deum, capite canino, *Iſidis* atque *Oſiridis* cuſtodem.

d) Nomine atque numine *Oſiridis* nihil aliud, quam Solem ſignificatum fuiſſe, prae aliis oſtendit Celeb. IABLONSKY *loc. cit. Tom. I. Lib. II. Cap. I.* quod totum de *Oſiride* agit; alii *Nilum* intellectum volunt; vid. PLVTARCH. *loc. cit. p. 363.* LVCIANVS in *Ioue tragoedo*, edit. cum notis varior. ſchol. gr. etc. et Praef. IO. GEORG. GRAEVII, Amſt. 1687. 8. *Tom. II.* qui ita: Ἀιγυπτιοι, ὑδατι θυȣσι. Καὶ το μεν ἁπασι κοινον τοις ἀιγυπτιοις το ὑδωρ. Ιδια δε Μεμφιταις μεν ὁ βȣς θεος, Πηλȣσιωταις δε κρομμυον; quaeque ad hunc locum explicandum egregie commentatus eſt modo laudatus IABLONSKY *loc. cit. pag. 127.* alii denique *Bacchum*, quamquam, pari ratione, reſpectu ad Solem habito, vid. HERODOT. *Lib. II. Cap. XLII.* CLAVD. SALMASIVS *de annis climactericis*, *pag. 566.* alia in praeſenti aliorum figmenta ut taceamus.

§. XII

Hoc vero antequam exponamus uberius, ſilentio ſupprimendum non eſt, eundem hunc noſtrum OSIRIDEM alio etiam nomine venire ſolere, SERAPIDIS ſiue SARAPIDIS. [a] Et licet quidem me non fugiat, fuiſſe haud paucos, qui hac de re non conueniunt, et non unam quidem, ſed duas perſonas fuiſſe, maxime inter ſe diuerſas, certo credunt certius: [b] vix tamen ac ne vix quidem in contrariam ego partem abire dubito, atque contendere, unum eum fuiſſe eundemque. Etenim ſi verum eſt, quod non uterque ſolum, celebre apud Nilicolas olim fuerit numen; verum in marmoribus antiquis iiſdem etiam afficiatur honoribus, atque pro

Ioue aut Sole habeatur; deus uterque nominetur maximus; inter numina ponatur valetudinis tutelaria; iiſdemque etiam gaudeat ſymbolis; quinimmo cum Iſide denique pingatur etiam coniunctus: quid vero ſimilius eſt, quam quod non duo, ſed unus ſub diuerſis his lateat nominibus? At vero, ſi hoc denique accedit, quod HERODOTVS [c] religionem deſcribens Aegyptiacam, deos illorum memorabiles commemoret omnes, ISIDEM, OSIRIDEM atque HORVM, de *Serapide* vero ne verbulum quidem addat, quod tamen, ſi tantum fuiſſet *Serapis* numen, quale vendidatur, ſalua fide hiſtorica, nunquam praeterire debuiſſet; quodque, id quod maximi momenti eſſe ſuſpicor argumentum, in tabulis etiam illis antiquis, quae puram primamque Aegyptiorum religionem exhibent omnem, totamque eorum complectuntur theologiam, uti eſt *menſa Iſiaca*, infra uberius commemoranda, nuſquam *Serapidis* fiat mentio, aut ſeparata *Serapidis* ab *Oſiride* deprehendatur figura: non vero ſimile, ſed certiſſimum eſſe confido documentum, OSIRIM atque SERAPIDEM unum fuiſſe eundemque [d].

a) De huius etymologia conſulendi ſunt, praeter PLVTARCHVM *loc. cit.* atque SVIDAM ſub hac voce, AVGVSTINVS de *Ciu. Dei Lib. XVIII. Cap. V.* atque ſaepe laudatus IABLONSKY *loc. cit. Lib. II. Cap. V.* nec non BERNARDVS MONTEFALCONIVS *Palaeogr. Graec.* Pariſ. 1708. fol. *Lib. II. Cap. VI*

b) Putant ſcilicet quidam, *Serapim* antiquis illis temporibus plane fuiſſe ignotum, atque a PTOLOMAEIS demum ſaltem inuectum, ex quibus eminent atque conſulendi ſunt DIONYS. PERIEGETA, *Deſcript. Orbis, Graec. cum Comment.* EVSTATHII, Archiep. Theſſalon. Lutet. ex offic. ROB. STEPHANI, 1547. v. 255. atque ad hunc EVSTATHII Scho-

lia;

lia; PLVTARCHVS *loc. cit.* CLEM. ALEXANDR. *Protrept. p. 31.* CYRILLVS ALEXANDR. *aduerſus Iulian. Lib. I.* inter *Opp. eius* iunctim edita, Gr. et Lat. ſtudio IO. AVBERTI, Pariſ. 1638. MACROBIVS *Saturnal. Lib. I. Cap. VII.* atque IABLONSKY *loc. cit. pag. 226.* Alii, a Patribus inprimis ſeducti, Ioſephum Patriarcham, propter beneficia Ægyptiis praeſtita, inter deos eorum fuiſſe relatum, hocque nomine appellatum exiſtimant: ſed neutram illorum ſententiam ita comparatam eſſe ſpero, ut iis, quae hic propoſuimus, rite penſitatis, fidem amplius mereantur.

c) *Hiſt. Lib. II.*

d) Vid. praeter RAPH. FABRETTI *Inſcript. antiqu.* Romae 1707. fol. *pag. CDLXVI.* et DAN. CLERICVM *Hiſt. Med. Part. I. Lib. I. Cap. VI.* IO. LEHMANNI Diſp. de *Serapide Aegyptiorum Deo maximo;* Vitemb. 1666. atque IO. DAN. MAIORIS *Serapis radiatus, medicus Aegyptiorum Deus, ex metallo et gemma;* Kil. 1685

§. XIII

Quod, ut nunc eo appareat clarius, ex imaginibus, quibus OSIRIS ſiue SERAPIS effingitur, et quarum apud MONTEFALCONIVM, atque in nouo illo opere, quod ſplendidum illud opus in compendio ſiſtit, ſatis magnus eſt numerus, in conſpectum producere placet, plane ſingularem, quae a manu quidem Aegyptiaca profecta non videtur, inſolitum tamen atque Aegyptiis peculiare prae ſe fert artificium. Stat ille Senex, (vid. in *Tab. Fig. 4.*) capite radiis fulgente, atque calatho impoſito, coma et barba promiſſa, quales alias in Iouis imaginibus obſeruantur. Corpus, a capite uſque ad pedes amictum, complicatur ſerpente, cuius caput ſupra pedes conſpicitur, corpus vero eius, corpus hominis aſcendendo

ſtringens, multis illud gyris circumuoluit, qui ad humeros terminantur. Serapis caudam illius tenet ſiniſtra, quae ſola videtur libera, dextra quippe ſub veſte tegitur, quin bracchium totum veſte tectum conſpicitur, excepto ſolo cubito, quem nudum videre licet, quod non ſine arcana quadam ratione factum eſt. Gyri autem atque flexus ſinuoſi ſerpentis, quatuor relinquunt ſpatia, in quibus duodecim ſic dicti Zodiaci apparent ſigna. MONTEFALCONIVS nihil aliud hanc imaginem eſſe arbitratur, niſi magnum illum Iouem, Solem, Serapim, in Graecia atque Latio Inſcriptionibus adeo celebratum; ſerpentem flexibus multis corpus circumdantem, Solis per Zodiacum innuere curſum; corpus autem Serapidis, mundum ſiue terram, quae radiis ſolaribus foecundaretur: ſed nobis longe alia ſymbolorum horum videtur eſſe ſignificatio, quam quidem nunc in medium proferre licebit

§. XIIII

Senex itaque ille ſtans, quid indicat aliud, quam quod medicae artis beneficio, longaeuitatem acquiramus, qua nihil eſt optabilibus, nihil mortalibus in votis magis? Ipſum vero hunc Senem, medica arte eſſe peritum, calathus oſtendit, qui caput eius ornat, radiis corruſcans, quibus medicina omnem illuſtrat vitam humanam, quique calathus, uti in aliis numinibus ſalutaribus, opem indicat, quam per medicamenta varia mortalibus ſuppeditant. Serpens corpus Senis multis circumdans gyris atque flexibus, non uti antea ex MONTEFALCONIO repetiimus, Solis per Zodiacum curſum denotat, ſed potius, uti frequentiſſimum Deorum medicorum ſymbolum eſt, ita noſtrum etiam Senem eo decet magis, quo clarius

indicat

indicat callidum eſſe debere medicum atque prudentem, quae quippe virtutes ſerpentibus familiares eſſe dicuntur quam maxime. Ecquid autem ſpatia illa quatuor, quae ſinus ſerpentis flexuoſi relinquunt, et quibus duodecim ſic dicti Zodiaci continentur ſigna? Haec certe eorumque ſignificatus fugere illos non poſſunt, quibus aliqua tantum ex parte veterum Aegyptiorum medicina cognita eſt atque perſpecta. DOMINICVS ſcilicet AVLISIVS, ICtus et Profeſſor quondam Neapolitanus,[a] oſtendit, *Nechepſonem*, quem Aegyptiorum regem et eundem fuiſſe affirmat SCHVLZIVS,[b] qui alias nomine *Pharaonis Nechonis* celebratus fuit, Aſtronomum clariſſimum, ſignis Zodiaci certos praefeciſſe deos, hoſque ipſos, Aſtrologiam cum medicina coniungens, inter partes corporis humani ita diſtribuiſſe, ut cuilibet membro unum ex his praeeſſet ſignis, ſuaque in conſeruanda ſanitate morbiſque vel efficiendis, vel curandis iterum conferret ſymbola. Quae ſi cum methodo Aegyptiorum medendi, infra explicanda uberius, ſedulo conferamus, nihil apparet manifeſtius, quam quod ſigna Zodiaci in noſtro Serapide occurrentia, id indicent, omnes deos deoſque ſalutares in uno hoc OSIRIDE conſpiraſſe atque fuiſſe coniunctos. Vides igitur, ut paucis praecidam, in Simulacro Oſiridis, ſiue Serapidis, hic propoſito, nec mundum, nec coelum, nec ſolem eiuſque curſum, ſed omnem potius, uti opinor, in compendium quaſi redactam, medicinam Aegyptiacam

a) Reliquit ſcilicet ille inter codices manu ſua exaratos, quoque de *Ortu et progreſſu Medicinae Libros VIII.* qui ultimam tantum expectabant limam. Conſpectum illorum iuxta omnes ſuos titulos debemus NI-

COLAO

COLAO AVLISIO, qui illum catalogo ſcriptorum fratris DOMINICI, Libris Eius *delle Scuole Sacre*, Neapol. 1723. praemiſſo adiecit. Et dolendum utique eſt, quod ipſe hic commentarius Auliſii de medicinae fatis, lucem nunquam viderit, nec ſpes nobis unquam illum videndi ſuperſit, ſiquidem opus de antiqua medicina habuiſſemus omnibus numeris abſolutiſſimum. Interim tamen, cum multa et in ipſo conſpectu deprehendas lectu digniſſima, ex quibus depromat, cui argumentum ſcribendi deeſt, operam dabo, ut proxime ille iterum typis exſcribatur

b) Vid. EIVS *Hiſtor. Medic. p. 160. ſeq.* Conf. LE CLERC *Hiſtoire de la Medecine p. 87*

§. XV.

Sed nondum peracta fabula eſt, producenda et reliqua, quibus abundat Aegyptus, in ſcenam ſunt numina ſalutaria. Non enim OSIRIS ſolum receptus in templa Deorum fuit: verum etiam muliebri virtuti, maximi ſemper habitae ab Aegyptiis, ſuum ponebant decus ſuumque pretium. Ipſam etiam ISIM, *numen*, ut cum poeta loquar,[a] *Orientis anheli*, diuino proſequuti ſunt cultu; quinimmo, ſi verum confiteri decet, longe ille adhuc celebrior crebriorque quam ipſius deprehenditur *Oſiridis*, quare etiam frequentiſſime *illa*, *hic* rariſſime in marmoribus antiquis atque eruditis occurrit lapidibus. Namque omnium *illa* rerum habebatur mater, hinc in urbe *Sai*, in templo *Mineruae*, quae eadem eſſe putatur *Iſis*, haec ex PLVTARCHI teſtimonio proſtabat Inſcriptio: SVM QVICQVID FVIT EST ET ERIT NEMOQVE MORTALIVM VELVM MIHI ADHVC DETRAXIT. Et quemadmodum

modum *Oſiridem* immites terras Cererisque ignaras vomere imbuiſſe antea tradidimus; ita Coniux eius, Isis ſociatas illi hoc in negotio porrexit manus, praeter ea autem leges etiam, quibus domi uterentur, ciuibus ſuis dedit, hincque aequitatis ſimul atque legum habita fuit praeſes, ſiue ut poeta canit: [b])

Prima dedit fruges alimentaque mitia terris,
Prima dedit leges.

nomenque adepta fuit *Theſmophorae.* [c]) Nec tacenda ſunt alia eius inſtituta egregia, quibus ſuccurriſſe mortalibus dicitur. Ita illa fragilem ratem prima omnium, ut quidam auctores ſunt, truci credidit Pelago, atque, ſiue ſecuram ſe, muliebri fidentia, rata, aduerſum incerta maris et rabiem Noti; ſiue, quod fluctus quoque ac tempeſtates, feminae, quae in omni re dominatur, pronas in obſequia fore, ſperauerit; ſiue non ſatis habens, Neptunum procul e terra ſpectare, nauem conſtruxit, ac ſuo cum *Oſiri*, curſus Pelagii comite, magnos in uſus, ciuibus mare aperuit, [d]) remque eos docuit nauticam. Immo fuit haud diu poſt ingenioſus eam in rem Isidis apprime amor, atque acre iuuandi ſuos deſiderium, ut, impatiens morae omnis, ratem prima etiam velificaſſe dicatur. [e]) Inprimis tamen inuentae etiam medicinae gloriam huic ſuae Isidi tribuunt Aegyptii, tantamque in arte ſalutari calluiſſe eam dicunt peritiam, ut non pharmaca ſalutariaque ſolum remedia inuenerit complura: [f]) verum morbis etiam alias incurabilibus mederi, quin immo poſt mortem etiam adhuc in ſomno, ſi quis opem ab ea petiiſſet, apparuiſſe, manifeſtamque Numinis praeſentiam oſtendiſſe, ſicque promtiſſimum indigentibus exhibuiſſe auxilium celebretur.

D Hiſque

Hiſque atque talibus aliis, quando iuuari vitam humanam reddique in dies beatiorem, pro ſe quiſque experiretur, facile fuit effectum, ut tantam auctorem munerum, ISIDEM, ſummis in honoribus haberent. Et inter hos veluti cancellos, ſi continuiſſet ſeſe grata veneratio, haud ſane, ut reprehendas eam, neceſſe foret; ſed ea temporum ſuperſtitione, miſcentur diuina humanis, hinc poſt obitum, religiones, ut magno Deorum numini, decernuntur, atque inter ipſa artis medicae refertur Numina tutelaria; templa conſtituuntur, ad quae tanquam ad ſacram ancoram confugiebant omnes aegroti, precibuſque in eis eam vocabant, ſacrificiis colebant, omniaque peragebant, quicquid modo ſuperſtitio excogitare valebat [s])

a) Ita STATIVS *Siluarum Lib. III. Silu. II. v. 102.* iuxta *edit. Aldinam*; Venetiis 1519. 8

b) OVIDIVS NASO *Metamorphoſ. Lib. V. v. 391.* inter *Opera cum not. integr.* cura PETRI BVRMANNI; Amſtelod. 1727. Voll. IV

c) Inde apud GRVTERVM *fol. LXXXIII, 10.* appellatur FRVCTIFERA; atque in nummis, et apud OVIDIVM *Metamorph. Lib. IV. v. 688.* ſpicas nitido auro flauentes tenens conſpicitur. Inde *Iſidem* in Sueuis cultam, de qua poſtea, doctiſſ. DOEDERLINVS in *Antiquitt. Gentiliſmi Nordgauienſis* §. *XXIII.* vocat: *Die Erfinderinn der Früchte, und Ernährerinn aller.* Ad quae verba examuſſim vox illa τιθηνη και πανδεχη, uti diuinum PLATONIS os illam vocat, reſpondere videtur. De legibus autem ab *Iſide* latis, nomineque *Theſmophorae*, praeter DIOD. SICVLVM *loc. cit. Lib. I. Cap. XXXIX.* conſulendus eſt Illuſtr. SPANHEMIVS; et ſane *Iſidi* δικαιοσυνη ſacra fuiſſe facta, vel ex lapide REINESIANO *Cl. I. CXXXV.* conſtat

d) De hoc *Iſidis* rei nauticae ſtudio, cuius ipſius inuentrix dicitur, atque

cuius

cuius ipſius cauſſa ſummum illi, tanquam aequoreae Thetidi, Ægyptios habuiſſe honorem ex PLVTARCHO intelligimus; adſcitamque velut a Neptuno regni in conſortium, Nereidum chorus omnis et monſtra natantia venerantur, inprimis legi meretur atque commendandus eſt Vir Clar. IO. GOTTLOB BOEHME, magnum Phoebi incrementum, atque Lipſiae meae Prof. Publ. Diſp. altera *de Iſide Sueuis olim culta;* Lipſ. 1749. ab initio, ubi etiam lepida atque febriculoſa OLAI RVDBECKII erudite refutatur ſententia

e) Ita HYGINVS inter Mythographos lat. ex edit. THOM. MVNCKERI, Amſt. 1681. 8. *Tom. I. Fab. ult. Velificia*, inquit, *primum inuenit* ISIS *Nam dum quaerit Harpocratem, filium ſuum, rate velificauit.* Inprimis autem comtus CASSIODORI eſt locus, *Var. Lib. V. Epiſt. XVII.* ubi elegans quam maxime veli inuenitur deſcriptio, iuxta quam *nauium* dicitur *faciens alas, linum volatile, quietum nautarum auxilium, quorum beneficio conficiunt otioſi, quod a celerrimis auibus vix probatur impleri.* Quibus praeclaris in rem naualem meritis, haud etiam viſa omnino indigna eſt *Iſis*, quin caerula inter Ponti numina obtineret principatum

f) Vid. DIOD. SICVLVS *Lib. I. Cap. XXV.* Inprimis vero inuentum quoque et nuncupatum videtur emplaſtrum *Iſis* dictum, atrae bili accommodatum, cuius tam frequens apud veteres medicos, GALENVM inprimis, fit mentio. Vid. DAN. VINCK *loc. cit. p. 15.* Inde apud OVIDIVM deam ſemet ipſam nuncupat auxiliarem. Inde IVVENALIS iuxta edit. cum notis varior. cura CORN. SCHRAEVELII, Lugd. Bat. 1664. 8. *Sat. XIII. v. 93*

Decernat, quodcunque volet, de corpore noſtro
ISIS, *et irato feriat mea lumina ſiſtro*

g) Vid. HENR. IAC. VAN BASHUYSEN Diſp. *de Iſide, magna Deorum matre;* Serueſt. 1719. cui adde IVL. FIRMICVM MATERNVM *de erroribus religionis profanae* apud VOSS. *loc. cit. Lib. II. Cap. LVI*

§. XVI

De templis autem atque ſacellis in ſuperſtitioſum Isidis cultum conſtitutis, infra, ubi de cultu ipſo ſanitatis cauſſa peracto, exponemus, opportunior diſſerendi dabitur occaſio; nunc, niſi animi fruſtra ſum, de ſignis atque ſimulacris, quae ſumma venerari ſolebant caerimonia, agere magis conſentaneum erit. Iam vero, illa ipſa inter ſe non conſentiunt, plura illorum ſi inuicem conferas; pleraque tamen ac potiora integram eius effingunt ſtatuam, a capite uſque ad pedes. In his mirere, ut operoſam inſolitamque Iſidis figuram ſi conſideres, tot diuerſa aliorum Numinum, quae ſuperſtitioſa excogitauit poſteritas, Solis, Lunae, Dianae, Cereris, Iunonis, Mineruae, Proſerpinae, Cybeles ſymbola, uni huic Deae cuncta apponantur. Colebant certe Aegyptii ſolem, colebant lunam, quos cernebant, et quorum opibus aperte iuuabantur. Nec tamen interim dubium eſt, quin maius etiam quoddam, abditumque Numen, quam ſolem vel lunam,[a] vel terram,[b] ſed id, quod toti quaſi praeſit uniuerſo, et Pantheon velut quoddam, reperire in hoc ſigno tibi videare, quod vires aliis Diis tribui ſolitas, magnitudine ac poteſtate ſua complectatur;[c] ut doceatur, ab huius diuinitatis, quam in eo ſimulacro colebant, voluntate propitia, nihil rerum ſecundarum ſibi non eſſe exſpectandum

a) Ita Plvtarchvs *loc. cit.* Diodorvs Sicvlvs *Lib. I. Cap. XI.* Dio Cassivs *Hiſt. Rom.* iuxta edit. ſplendidam atque eruditam Io. Alb. Fabricii atque Herrm. Sam. Reimari, Hamb. 1750. fol. *Lib. L.* ſtatuunt

b) Ita

b) Ita Servius ad Virgilii *Aeneid. Lib. VIII. v. 696.* *Iſidem* Aegyptiorum lingua *terram* eſſe putat, hancque ipſam, *Iſidem* eſſe exiſtimat; qua in re ſequuti illum ſunt Isidorus *Lib. VIII. Cap. XI.* Macrobius *Saturnal. Lib. I. Cap. XX.* aliique plures

c) Quod nec mihi a vero videtur alienum, reputanti, apud Aegyptios, uti ex Inſcript. antiqua apud Gruterum *LXXXII, 22.* patet, *Iſidem* fuiſſe omnia, unamque illam omnes in magno nominum ambitu retuliſſe deos

§. XVII

Deſignant itaque rerum, quas gubernat, potentiam copiae atque ubera, quibus *corpus eius omne denſatur*, uti Macrobius ſcribit; [a] beneficentiam eiuſdem manus adumbrant apertae, quae huic ſimulacro dantur, ut Deae cuiuſdam praepotentis atque ſalutiferae effuſa in homines bonitas largitaſque cunctis patere demonſtretur. Haec illa ipſa eſt Isis, quae *Magna* alias *Deorum* dicitur *Mater*, [b] quae *Myrionyma*, hoc eſt mille nominum dea [c] vocata fuit; haec eſt, cuius cultus haud paucas diſſonaſque linguis moribuſque gentes, velut quaedam infecit contagio, atque in Aſia, Thracia, Phoenicia, Macedonia, ipſiſque Athenis, bimarique Corintho, apud Romanos, [d] immo in ipſa denique Germania, [e] et apud omnes fere populos

— — *qui ſunt a Gadibus uſque*
Auroram et Gangen

ſuos naſceretur cultores, atque cuius diu multumque inconcuſſa fuit reuerentia

 a) *Satur-*

a) *Saturnal. Lib. I. Cap. XX.* pari modo uti apud Graecos ſequenti aeuo, Diana Epheſia, quae Polymamma ideo dicitur, atque Cereris Romanorum mammoſa.

b) Vid. modo cit. BASHUYSEN Diſputat. *de Iſide, magna Deorum matre.* LVCIVS APVLEIVS *Metamorph. Lib. XI.* inter Opp. eius iunctim edita, cum interpret. et not. IVLIANI FLORIDI, in uſum Delphini; Pariſ. 1688. 4.

c) Vid. GRVTER. *LXXXIII, 11.*

d) Vti teſtes ſunt LIVIVS, DION, TERTVLLIANVS, ARNOBIVS aliique et in primis IO. OLIVA, *in marmor Iſiacum Romae effoſſum, Exercit.* Romae 1719. 8. *Cap. II.* id quod etiam erudite expoſuit, Illuſtris GEBAVERVS, Academiae Goettingenſis decus, in *Act. Erudit. 1720. pag. 395.*

e) Vid. CORNEL. TACITVS *de Moribus Germanorum* inter Opp. ex recenſ. et cum notis IO. FRID. GRONOVII; Amſt. 1673. 8. edit. *Cap. IX.* atque modo laudatus Clar. IO. GOTTL. BOEHME Diſſ. binis *de Iſide Sueuis olim culta;* Lipſ. 1748. 1749. quibus adde Cel. AVCTOREM *des neuen Büchersaals der ſchönen Wiſſenſchaften Tom. VI. p. 375.* et *T. VII. p. 73.* nec non *Commentarios Acad. Reg. Pariſ. Inſcriptionum et elegant. litterar.* et in eorum *T. V.* Clar. FONTENII *diverſes conjectures ſur le culte d' Iſis en Germanie, p. 63.*

§. XVIII

Non autem magnum ſolum Aegyptii nobis aliquod Numen in Iſidis ſuae coluiſſe videntur ſimulacro; verum reconditum etiam, quodque longe plus habeat in receſſu, quam externa ſymbolorum fronte promittat. Etenim, licet a vero diſſimile non ſit, quod lunam forſan, aut terram, uti antea expoſitum fuit, atque

ex

ex integra teſtium nube, qui huc ſpectant, Clariſſimus affirmat IABLONSKIVS, veteres huius gentis auctores ſatoreſque, in ea colere potuerint: Maius tamen moueo opus, utinam! vi quoque ingenii ac ſermonis elegantia maiore, quam quae timido mihi ac tenuitatis conſcio meae huc uſque non potuit non pudorem incutere. Videbant ſcilicet poſteri, tot variorum munerum genera in homines ab hoc Numine proficiſci, quae neque a ſole, neque a terra accepta referri poſſent, ſed pollentiori cuidam debeantur enti. Huius autem Numinis, quod rebus cunctis praeeſſet, vim poteſtatemque cum ſentirent, tanto cupidius humanae curioſitatis more, naturam eius explorare ſtudebant, quanto mirabiliores eius eſſe iudicabant vires. Sed huius ipſius entis naturam ratione perſpicere cum non poſſent, eius receſſus tam altos exiſtimabant, ut abſconditum quoddam Numen colendum ſibi putarent. Huius igitur numinis, quod cauſſas tam arcanas haberet, ſcientia, cum Aegyptiis non poſſet obſcura non eſſe, hic quidem ipſius numinis formam obſcurabant, ut in eo venerarentur occultam quandam diuinitatem, qualem in ea reperire ſibi viderentur

§. XVIIII

Vultum igitur eius obſcurabant, cuius oculis apertis atque acribus aſpiciuntur quidem cuncta atque curantur, ſed modis tam mirabilibus, ut Aegyptii intelligere eos haud poſſent. Nunc igitur facie fingebatur canina, nunc humana, nunc auis caput gerebat, nunc in capite auem, aliaque circa illud ſymbola, quae magnae erant indaginis. Eiuſdem obſcurabant manus, quae tantam tot munerum copiam liberaliter effunderent, quantam ex cauſis

ſuis

ſuis animo complecti non poſſent. Gerit itaque iugamentum leminiſcatum, quod graeci ἔγκαρπον dicunt, hoc ex collo eius pendet, omni florum fructuumque abundantia refertiſſimum, hocque uberrimo cornu quaſi copiae omnium ſui cultoribus promittit generum opes, ut eos ſui veneratione teneat. Eo cum animos oculoſque conuerterent Aegyptii, nihil erat affluentiae, quin ſibi eam promitterent a numine magnae ſuae Isidis. Eiuſdem obſcurabant pedes, ſub quibus vertuntur cuncta atque reguntur. Pedes enim ſymbolum ſunt pietatis atque imperii, uti ex ipſis hoc patet literis diuinis; inprimis non diſtorti illi ſi fuerint, ſed coniuncti, vim deſignant atque ſtabilitatem magnam. Horum genua ſedes habentur miſericordiae, quibus per ceram vota affigebantur tabulis inſcripta atque ſignata; ſicque totius huius idoli membris eorumque figuris magnum quoddam ſignificari videtur Numen, ſed abſconditum ſimul atque obſcurum

§. XX

Qua quidem in re, ſi liceat nobis dicere, quid ſentiamus, manifeſto ſatis Cacodaemonis notiſſima illa apparet Cacozilia, quae affectatione rerum diuinarum multarum certe maximarumque multis ſe prodit locis. Nimirum ſummum illud aeternum atque immenſum, quod in DEO reperitur, nulla hominum intelligentia poteſt comprehendi, ſed ea re ſuam diuinitatem maxime declarat, cum modum ingenii humani infinita altitudine ſua excedit, quo cupidius eius naturam receſſuſque ſcrutari labores, eo maiori rerum admirabilium obſcuritate cognitionem tuam inuoluas. Itaque Devs ipſe a Vate diuino dici voluit *Deus abſconditus*, eam-

que

que ſuam appellationem factis pluribus illi conſentaneis comprobauit. In ſacraria enim Hieroſolymitana nube tectus deſcendit in eiſque ſua habuit arcana,[a] uti ipſis gentibus, profano cultui deditis, fuit cognitum. Nimbo opertus Iſraelitas per loca duxit deſerta,[b] leges in monte Sinai tulit,[c] ipſe quidem in luce habitare dicitur inacceſſa, quo nemo accedat.[d] Haec et alia, quae interna Dei oculis humanis claudunt, maieſtatem eius faciunt auguſtiorem, maiorique colendam reuerentia. Sed aduerſarius Dei ſimilem numinis abditi venerationem, apud omnes homines falſa religione deprauatos, ſibi quaerit, pro ea libidine ac profunda ambitione, qua nihil diuini ſibi non arrogat honorique diuino petulans obtrectat

a) *3. Reg. VIII, 9*

b) *Exod. XIII, 21*

c) *Exod. XIX, 16*

d) *1. Timoth. VI, 16*

§. XXI

Sed, ne in alienam meſſem videamur immittere falcem, ad illuſtriora nunc aliqua, quibus effingitur Isis, quorumque apud Montefalconivm ſatis magnus eſt numerus, progredi libet ſimulacra. Siſtimus in praeſenti ex multis aliis, (vid. in *Tab. aen. Fig. 5.*) *Iſidem* Romanam, quae ad ſupra deſcriptum *Oſiridem* ſiue *Serapidem*, tanquam coniux pertinere videtur. Signum illud eſt, os humeroſque Deae ſimile. Inſolitum illa habet nihil; torquem collo gerit, quaſi ex unionibus concinnatum; ſtrophium illud magnum ex collo pendens, humeroſque ornans, ſimile eſt iis,

quae non ita pridem in uſu erant. Veſte induitur aperta, caetera uno intuitu percipias. Serpens illam circumdat, at, non tot gyris atque flexibus, quot in *Oſiride* ſupra deſcripto deprehendis, corpus circumuoluens, ſed uno tantum ambitu, multis poſtea gyris ad pectus illius aſcendens, et dubium eſt nullum, ad aliquam religionis partem eo reſpici; vero tamen ſimilius ad ea illius beneficia, quae tanquam *Dea ſalutaris* praeſtitit, uti ex iis patet, quae ſupra ad *Oſiridem* expoſuimus. Illuſtrius ſimulacrum pluſque in receſſu fouens, videtur illud, quod CLERICVS [a] ex CASALIO recudendum curauit. In hoc plura adſunt ſymbola. A capite uſque ad pectus conſpicitur nuda, reliqua pars corporis clypeo ornata eſt quadrato oblongo, in quo capita, aues, cornua, ſemilunia, multaque alia, ipſumque vides *Oſiridem* cornubus ornatum bouillis. Aliud neque minus illuſtre ISIDIS ſimulacrum in Commentariis Acad. Reg. Pariſinae Inſcriptt. atque elegant. litter. [b] exſtat, non propter figurae ſuae magnitudinem ſolum, verum etiam propter alia ſymbola, quae in illo conſpiciuntur, quam maxime memorabile. In huius capite auis quaedam roſtro adunco deprehenditur, quam MONTEFALCONIVS pro accipitre habet, nos vero rectius *Ibidem* eſſe exiſtimaremus, niſi ea, quae ſupra in *Oſiridis* commemorauimus ſymbolis, aliud nos credere iuberent

a) Vid. Eius *Hiſtoire de la Medecine p. m. 15*

b) Iuxta verſionem germanicam a GOTTSCHEDIA, quae ſola ſuo exemplo comprobat, non viris ſolum datum eſſe, eruditionis intrare ſacraria, verum etiam in feminarum pectore ſacrum aliquid latere, aditumque illis ad Corinthum eſſe conceſſum, curatam. *Tom. VII. p. 5. ſeqq*

§. XXII

§. XXII

Taceo in praeſenti numiſmata, gemmas, aliaque, quibus culta fuit Dea, monimenta. Eorum quaedam RICH. MEAD collegit,[a] ex quibus unum maxime memorabile ſub frontiſpicio libelli excudendum curauimus. Vides hic nummum aureum moduli tertii. In aduerſa area, Caput conſpicitur turritum, Matris Deorum *Sypilene*, tutelaris Smyrnaeorum Numinis.[b] In auerſa: ΞΜΥΡΝΑΙΩΝ ΞΕΥΞΙΣ. Hic *Xeuxis* ſiue *Zeuxis*, Herophileus, ſicuti a STRABONE edocemur, magnae iſtius prope Laocodiceam Scholae magiſter, non Aeſculapii ſolum, verum etiam *Deae Iſidis*, tanquam ſanitatis primariae cuiuſdam praeſidis, ſacerdos, et ob pompam Iſiacam cum ludis Aeſculapii coniunctam, expreſſus videtur.[c] Conſpicitur in eadem area ſimulacrum reginae Iſidis, ſocium cum magna matre honorem, uti ex antiquis patet monimentis,[d] eandemque ac Aeſculapius potentiam;[e] et celebrem in urbe Smyrna cultum ſortitae.[f] Stat illa habitu ſtolato, caput ornatum eſt calatho, dextra manu attollit ſceptrum, in regiae dignitatis ſignum, ſiniſtra columna innixa eſt, eademque victoriam alatam tenet, quae coronam ipſi porrigit laureatam.[g] Ad pedem adſtat auicula, de qua, quamuis dubium eſſe poſſit, qualis illa ſit, num forſan hirundo, num accipiter, aut vultur, aut ibis, quae omnes ſaepenumero in Iſiacis conſpiciuntur monimentis;[h] mihi tamen

Romulidarum acris ſeruator, candidus anſer

eſſe videtur[i]

a) Vid. Eius Diſſert. *de nummis Smyrnaeis, in medicorum honorem percuſſis*, adiecta *Orationi* eius *Harueianae anniuerſariae*, Londini habitae 1723. Lugd. Bat. 1725. 8

 b) Vid.

b) Vid. Henr. Avg. Zeibichii Comment. *de Matre Deorum Sypilene*, ex antiquis monimentis eruta; Vitemb. 1747. 4

c) Quam enim potentiam in re medica attribuerunt Aeſculapio Smyrnaei, quem Iouis titulo eos inſigniuiſſe Aristides teſtis eſt, eandem Iſidi etiam, ſiue, qui ſaepe cum illa confunditur, Serapidi adſcripſiſſe, nummus, qui in Gazophylacio Mediceo aſſeruatur, inſcriptus: ΖΕΥΣ ΣΑΡΑΠΙΣ, teſtatur

d) Praecipue ex inſcript. *Gruteriana XXVII*, *2*. MATRI DEVM ET ISIDI commune fanum. Porro unum utriuſque numen ſociatis in eodem ſimulacro ſymbolis colebatur Romae in Circo maximo, inſignitum capite turrito, leonem in ſublimi agitans, et ſiſtrum manu attollens. vid. nummos Neronis et Traiani apud Onvphr. Panvinvm *de Ludis Circenſibus et Triumphis;* Patau. 1681. fol. quique recuſus exſtat in Io. Georg. Graevii, Aui mei materni, de quo mihi gratulor, fratris, *Theſauro Antiquitatt. Rom. Tom. XI. Lib. I. Cap. XIII*

e) Hunc, quem cum Aeſculapio communem habuit honorem Diodorvs Sicvlvs comprobat. Hinc nata Iſidis Salutaris non minus, quam Fructiferae religio; hinc templa Iſidis per uniuerſam etiam Graeciam Aeſculapii fanis coniunctiſſima; hinc inſcriptiones Romanae: ISIDI SALVTARI; hinc nummi denique Iſidem cum ſymbolis oſtentantes, qualem idem Mead producit *loc. cit. Tab. III. num. XX.* cum epigraphe: SALVS AVG

f) Vid. Aristid. *Orat. I.* ubi *της Ισιδος, της ἐν τη Σμυρνῃ ἱερεα* memorat; et in *Orat. III.* ait: *ἐτεθυκειν τῃ Ισιδι και τῳ Σαραπιδι ἐν τῳ της Ισιδος ἱερῳ, λεγω τȣτο ἐν Σμυρνῃ γενομενον. ἐξίοντι δε μοι τα προπυλαια προσεῤῥυησαν χηνες δυο των ἱερων*

g) Talis enim in Inſcriptione celebratur, id eſt DOMINA VICTRIX ATQVE TRIVMPHALIS; Grvter. *LXXXIII*, *14*. *LXXXIV*, *2*

h) Vid.

h) Vid. Athanas. Kircheri crepundiarum illius puerilium que imaginum amatoris et admiratoris mirifici, *Oedipum*, quem Dauum tamen melius dixeris, *Aegyptiacum*; Rom. 1652. paſſim

i) De quo Aristides teſtis eſt *loc. cit.* eos in templo Iſidis paſci ſolitos fuiſſe, gratiores illi ut fierent victimae. Praeter quem conferri meretur Artemidorvs in *Oneirocrit.* iuxta edit. Gr. Lat. cum notis Nicol. Rigaltii; Lutet. 1603. 4. *Lib. IV. Cap. LXXXV*

§. XXIII

Longius me inquirendi in Iſidis ſymbola atque ſimulacra ſtudium prouexit, atque animo equidem ante deſtinaueram. Nec tamen operam, ſi quid veri mens augurat, perdidiſſe, muſis amico videbimur: haud diſconueniens certe ea profeſſioni ſententiae eſt, ſecundum quam ſalutarem hanc deam fuiſſe, ſupra retulimus. Poſt eam nunc atque Oſiridem, in tota antiquiſſimotum Aegyptiorum theologia celebrius nihil eſt, aut occurrit frequentius, Hori, quem illorum filium eſſe perhibent, nomine atque numine: at nullum etiam, quod, lubentiſſime fateor, plus illo faceſſet negotii. Graeci, quando de *Horo* loquuntur, ſemper eum interpretari ſolent per *Apollinem*; [a] alii eum atque *Harpocratem* unum eundemque eſſe aſſerunt; Nec, ut ego opinor, male. De ortu autem eius tot fabularum in veterum monimentis eſt farrago, ut vix ea omnia ac ne vix quidem, in ordinem reduci poſſint. Habetur ille plerumque, veluti pater, pro ſole, et Gisbertvs quidem Cvpervs, [b] quotidianum ſolis ortum ſub nomine eius habitum fuiſſe, affirmat; celeb. autem Iablonsky, [c] renouatum potius ſolem in ſolſtitio hiberno intelligere vult, quando ille nominatur. Sed veniam da-

bit, Vir alias praeſtans laude litterarum, quod meae opinioni nuntium ea propter non mittam, clariſſimo potius ſubſcribens WERNSDORFIO, uti ſtatim pluribus docebo

a) Vid. HERODOTVS *Lib. II. Cap. CXLIV. et CLVI.* DIODORVS SICVLVS *Lib. I. p. 22.* PLVTARCHVS *loc. cit. p. 375.* AELIANVS *Hiſt. Animal. Lib. X.* MACROBIVS *Saturnal. Lib. I. Cap. XXI.* IABLONSKY *loc. cit. Lib. II. Cap. IV.* et multi inſuper alii, quos operoſe hic recenſere nihil attinet

b) In libro eruditiſſimo, quem HARPOCRATEM inſcripſit; Traiect. ad Rhen. 1687. 8

c) *Loc. cit. Lib. II. Cap. IV*

§. XXIV

Oſiris ſcilicet, ſalua noſtra ſententia, idem erat ac Aegyptiorum Sol, ad cuius mutationes atque effecta, omnes ſuos referebant deos; ſub Iſidis vero imagine colebatur Luna. Si ergo verum eſt, HORVM ſiue HARPOCRATEM Oſiridis atque Iſidis fuiſſe filium; quid impedit, quo minus eum in fabuloſa hac theologia cum parentibus coniungamus? Nec citati auctores a nobis hac in re diſſentiunt. Orientem ſolem diurnum, uti iam dictum eſt, haud ineptis teſtimoniis per illum ſignificari CVPERVS probauit:[a) eundem autem in ſolſtitio hyberno renouatum idoneis ſatis argumentis Venerab. IABLONSKY. Vterque ſpecie paruuli tenerique pueri ſymbolum hoc expreſſiſſe Aegyptios, huncque puerum vocaſſe HARPOCRATEM, ſuo quiſque modo, hoc eſt, erudite atque eleganter oſtendit. At enim vero nec nobis praeſto obſcura ſunt indicia, longe aliud per eum ſignificari, atque ſub Harpocratis

latere

latere ſymbolo. Conſtat enim, ſtellam aliquam non infimae magnitudinis Soli eſſe proximam, atque vel praegredi eum, vel ſequi ſolere. Eſt haec ſtella Veneris. Cum igitur, ſi poſt Solis occaſum in horizonte dicta illa ſtella viſibilis ſit, nox ſequi ſoleat, quae ipſa interdum per *Iſidem* olim indicata fuit, hincque cum *Iſide* ſiue nocte arctiſſime cohaereat; Cum Solem Orientem, quem *Oſiridem* eſſe dicunt, eadem ſemper ſtella praegrediatur, hincque etiam hanc ob cauſam cum eo coniuncta ſit: quid impedit, quo minus Harpocratem, neque Solem, neque Lunam, ſed ſtellam potius indicatam fuiſſe Veneris, afferamus. Quid quod ipſa haec ſtella a quibuſdam dicta fuerit ſtella Iſidis, atque elegans aerea Harpocratis effigies, a CVPERO propoſita, idem nobis perſuadeat; ut etiam mirum ſit, CVPERVM hoc non obſeruaſſe. Accedit, quod in Inſcriptione Graeca, quam e SPONIO CVPERVS repetiit, *Anubis* et *Harpocrates* dicantur Διοσκουροι, id vero nomen a Caſtore atque Polluce mutuatum Annubidi conueniat, quod horizontem is ſiue ortum atque occaſum Solis deſignat, atque ſub Anubidis forma, Aegyptii olim ſtellam intellexerint Mercurii, quae Soli etiam proxima eſt, eoque vel oriente vel occidente videtur, ſicque eadem ſtellae Veneris atque Mercurii ſit ratio, atque ſi Annubis ſtellam Mercurii, Harpocrates citra contradictionem ſtellam ſignificat Veneris

a) *L. c. p. 125.* ubi prouocat ad PLVTARCHVM de *Iſide atque Oſiride, p. 355.* et de *Pythiae Oraculo, p. 400*

§. XXV

Praeter ea, quae hactenus pro *Harpocrate* diſputata fuerunt,

plura

plura etiam inde quidem adhuc peti poſſent, quod, uti aliunde conſtat, *Bonus Deus Puer Phoſphorus* a gentibus cultus fuerit, cuius maxime memorabilia apud GRVTERVM haec exſtant lapide literario; [a]

BONO DEO
PVERO POS
PHORO
T· FL· ITALICVS
PRIMVS IIII
VIR M· A· A·
CVM STATILIA
LVCINA CONIVGE ET
SVIS EX VOTO

Hunc bonum Deum Puerum Phoſphorum, eundem noſtrum eſſe *Harpocratem*, GISBERTVS CVPERVS, [b] BAVDELOTIVS DE DAIRVAL [c] atque inprimis IO. CHRISTIANVS WERNSDORFFIVS, [d] Vir literarum laude praeſtantiſſimus, idoneis atque egregiis teſtimoniis, quam maxime vero ex multis etiam, quae inter ſe communia habent, ſymbolis abunde ſatis demonſtrarunt; nec poſſum, quin clariſſimorum virorum hanc ſententiam, utroque, quod aiunt, collaudem pollice, inque eam ipſam pleno deſcendam gradu, inprimis cum ad id etiam faciat, ad quod progrediendum nunc nobis eſt, et ad nos magis ſpectat, explicandum, eum Numen etiam apud Aegyptios fuiſſe Salutare, ſuaque ad ornandam iuuandamque medicinam contribuiſſe ſymbola

a) *Fol. LXXXVIII. num. 13*
b) In *Harpocrate, p. 125*
c) De *utilitate peregrinationum; Tom. I. p. 220*
d) Progr. de *Chriſto Phoſphoro noſtro, itemque de DEO Phoſphoro profanarum gentium;* Helmſt. 1755

§. XXVI

§. XXVI

Et hoc quidem ipſum, recte ſi ſentiam, quibus gaudet HORVS ſiue *Harpocrates*, manifeſto innuere videntur ſymbola, prae omnibus aliis Diis Salutaribus, *illi* plane peculiaria, quod ſcilicet, in ſchematibus, quae de eo occurrunt, omnibus digitum ori habeat admotum. Et quamquam celeberrimus MONTEFALCONIVS, ſymbolo hoc nihil aliud ſignificari credat, quam quod Dii ſilentio atque verecundia colendi eſſent, ſiue ut PLVTARCHVS dicit, non decere, ut homines, qui tam parum deos cognoſcerent, temere de iis loquerentur; IABLONSKIVS autem eo hoc refert, quod Harpocrates debilis et nondum perfectus natus dicatur, vitiumque adeo fuerit natiuitatis digitus ori admotus, a PLVTARCHO forſan hac in re ſeductus, qui eum θεον ατελη και νηπιον, *deum quendam immaturae aetatis atque infantem*, vocat; magis tamen cum ipſa medicina inde nobis conuenire videtur, quia Graeci Deum illum putauerint fuiſſe Silentii, atque ipſa Medicina *ars* dicta fuerit *muta*.[a])

a) Ita enim VIRGILIVS *Aeneid. Lib. XII. v. 396*

Scire poteſtates herbarum uſumque medendi
Maluit, *et* mutas *agitare* inglorius artes.

in quo loco explicando ſummi ſemper doctiſſimique viri ſeſe exercuerunt, maxime tamen legi merentur, quae I. H. SCHVLZIVS diſputauit Progr. de *artibus mutis*; Halae 1732. et poſt eum Clariſſ. HVNDERTMARKIVS, loco infra citando, de quo, cum longe aliter ſentiat, quod tamen pace eius dixerim, idem affirmandum eſt, quod ille SCHVLZIO obiecit, ſcilicet tractum magis quam ductum videri, quod pro ſua explicatione protulit

§. XXVII

Quod ut eo appareat magis, liceat nobis figuram proferre

Harpocratis, ſiue *Hori*, in qua ea, quae huc ſpectant, omnia manifeſte ſatis expreſſa ſunt. Siſtimus in *Tab. aen. Fig. 6.* Harpocratem alatum, ſiniſtra geſtantem cornu, *pomis et odore flore repletum*, dextra ori digitum admouentem. Et alae quidem Soli vulgo tribui ſolent, ad eius in mouendo indicandam velocitatem, ſed nos, qui non Solem, uti ex antea dictis patet, ſed ſtellam potius vel praecedentem eum, vel ſequentem per Harpocratem ſignificari credimus, ita explicamus, ut per alas indicetur fuga quaſi, cui Sol oriens ſtellam illam ſubiicit; medicus autem Deus cum fuerit Harpocrates, quid indicatur manifeſtius, quam quod medicum deceat citiſſime morbos depellere, uti ſcimus, ſubſequentium Medicorum fere omnium, iuxta Aſclepiadis effatum in eo inprimis poſitum fuiſſe officium, ut non tuto ſolum atque iucunde, verum *cito* etiam morbis mederentur. Conſpicitur porro in Harpocrate noſtro, cornu copiae, quod ſiniſtra ſuſtinet manu, quo quidem, niſi fallat nos opinio, fructuum copiam ab Harpocrate ſubminiſtrari, herbarumque ſimplicium notitia, quibus ſolis medicina antiqua innitebatur, et maxima, quae in mortales redundant inde, indicantur beneficia. Serpens columnam, cui ſiniſtram fulcire conſpicitur Horvs, circumdans, uti frequentiſſimum Deorum ſalutarium ſymbolum eſt et ſupra iam a nobis fuit expoſitum: ita et noſtro huic Numini ſalutari conuenientiſſimum eſt. Dextro eius pedi canis, ſiniſtro aſſidet noctua; quibus non quidem, uti Montfavconivs arbitratur, Harpocratem, utpote Solem, cuiuſuis generis animalibus quadrupedibus ſcilicet atque volatilibus incrementum atque vitam dare innuitur, ſed potius facili inde colligimus

ligimus negotio, nihil hiſce animalibus ſignificari aliud, quam quod medicus die nocteque vigilantiam ſuam probare debeat, utpote quod a canibus die nocteque, a noctuis vero noctu fieri, experientia docet. Quid quod de canibus ſupra iam commemorauimus, HARPOCRATIS parentibus ſacros illos fuiſſe? Magis abſconditum in ipſo hoc ſimulacro aliquid deprehendes, ſi, cum recentioris aeui haec figura ſit, cogitaueris, noctuam Mineruae, ſerpentem Aeſculapii, cornucopiae Cereris atque Fortunae, pellem, qua indutus videtur, tranſuerſam, Herculis atque Bacchi, canem Oſiridis, digitum ori admotum Harpocratis, ſicque plurium Numinum ſymbola ſalutarium in uno hoc ſimulacro fuiſſe coniuncta [a])

a) Plura tradit EBERHARDVS RVDOLPHVS ROTH, Diſp. de *Oſiride, Iſide, Horo et Typhone, diis olim Aegypti*; Ienae 1671

§. XXVIII

Reſtat adhuc unus, ex Aegyptiorum diis commemorandus ſalutaribus, quem in inuenienda Medicina eiuſdem participem faciunt laudis, HERMES TRISMEGISTVS; [a]) cuius, quam venerabile ab antiquiſſimis inde fuerit temporibus nomen, vel exinde patet, quod ſupra commemoratorum vetuſtiſſimorum populorum, Aegyptiorum non ſolum atque Phoenicum, verum ſubſequenti etiam aeuo, Graecorum pariter atque Romanorum, unanimi plane conſenſu, in Deorum numerum fuerit relatus. Hic ille eſt Hermes, quem alias Aegyptii etiam Thoor, Thoyt, Thoth, Thout, vel Theut; Phoenices Taautum, Graeci Hermetem et Latini Mercurium appellauerunt. Hic ille eſt ipſe, qui eximia ingenii perſpicuitate, in excogitandis vitae humanae commodis, inſtructus,

omnium optimarum artium auctor eſt atque inuentor, qui leges Aegyptiis tulit, qui animalium atque metallorum naturam magno ſcrutatus eſt ſtudio, qui primus loquelam articulatim diſtinxiſſe, literas inueniſſe, multis rebus nominibus deſtitutis ea indidiſſe, et quae complura ſunt alia, immenſis beneficiis praeſtitiſſe dicitur. Hic eſt, qui *Iſidem* non medicinam ſolum docuit, uti ipſa profitetur, verum *illi* etiam atque *Oſiridi* a ſecretis fuiſſe fertur,[b] cum quo illi omnia communicabant, et cuius maxime utebantur conſilio. Hic eſt, qui quadraginta duos conſcripſiſſe laudatur libros, quos in templo Iſidis aſſeruatos fuiſſe credunt, et in quibus non medicinae ſolum, verum chemiae etiam atque χρυσοποιητικης praecepta contenta fuiſſent; unde etiam factum eſt, ut primum chemiae inuentae Aegyptii ſibi arrogent gloriam, de qua infra ex inſtituto nobis agendum erit.

a) Non deſunt ſummae eruditionis atque iudicii Viri, qui Mercurium hunc exſtitiſſe unquam, adeoque nec hominem, nec ſapientem fuiſſe valde dubitant, ſed totum eius nomen fabuloſum eſſe exiſtimant atque myſticum, hincque libros eius et ſpurios et adulterinos arbitrantur, inter quos GOROPIVS BECANVS non infimum locum tenet, qui *Libro I. Hieroglyph.* et *Lib. IV. Gallic.* Mercurium aeque ac Zoroaſtrem, immo vero Orpheum adeo vixiſſe nunquam contendit; in quam etiam ſententiam abeunt PETR. DAN. HVETIVS, *Demonſtr. Euang. Prop. IV. Cap. V. §. 2. p. 129: ſeq.* HERRM. CONRINGIVS *de Hermetica Aegyptiorum Med. veterum*, atque IO. HENR. VRSINVS Exercitatione de *Zoroaſtre et Hermete;* ſed quando tot paene innumeri grauiſſimique omnis aeui ſcriptores Hermetem Triſmegiſtum commemorant, quin, quod non vixerit aliquando, ſtatuam, a me impetrare non poſſum. Interim tamen refutare eos mei

inſtituti

inſtituti in praeſenti non eſt, cum perfuncti hac opera praeclare iam ante nos fuerint, ex multis aliis CLEMENS ALEXANDRINVS, Vir πολυμαθέστατος et lectionis infinitae, ipſeque incola quondam Aegypti, *Stromatum Lib. I. p. 153.* LACTANTIVS *Diuinarum Inſtitutionum Lib. I. Cap. VI.* atque MORHOFIVS *Polyhiſt. Tom. I. Lib. I. Cap. X.* inprimis vero OLAVS BORRICHIVS, loco citato de *Hermetica Aegyptiorum medicina*, qui omnes non hominem tantum, ſed et inſuper beneficum, optimarumque artium inuentorem Hermetem fuiſſe teſtantur. Quibus ſi addideris, quae VINCKIVS collegit *loc. cit. p. 9. ſeqq.* nullum nobis ſupererit dubium. Neque quae de pluribus Mercuriis ſiue Hermetibus CICERO *de Nat. Deor. Lib. III.* aliique proferunt, repetiiſſe operae pretium erit. Sufficiat nobis ea, quae Scriptores admodum fide digni nobis reliquerunt, de uno illo Hermete Magno, conſideraſſe paullo paenitius

b) Ita enim DIODORO SICVLO auctore, *Lib. I. Cap. XXVII.* in columna ſepulchrali de ſe profitetur *Iſis:* EGO ISIS SVM REGINA HVIVS REGIONIS A MERCVRIO ERVDITA etc. verum eodem etiam DIODORO auctore, *Lib. I. Cap. XVI. Hermes* ἱερογραμματεύς vocatur Deae *Iſidis*

§. XXVIIII

Haec igitur ſunt Numina apud veteres Aegyptios Salutaria praecipua; his omnem illi Medicinae inuentae tribuebant gloriam; haec domi, haec in publico pietate ac ſacris colebant. Quid itaque mirum, ſi varios eos etiam excogitaſſe videmus modos, quibus religioſe ea colere atque celebrare ſtudebant, et multis poſt eorum obitum ſaeculis, in morbis occurrentibus auxilia ab iis non ſolum petebant, verum etiam certo exſpectabant certius

§. XXX

Videmus igitur complura in honorem illorum non erecta ſolum fuiſſe fana atque ſacella, aedificatoſque Obeliſcos; verum etiam conſtitutos dies feſtos, dicatoſque ſacerdotes, qui horum omnium curam gererent, votaque diis ſuis a populo nuncupata ad eos deferrent. Et ad *Templa* quidem primum quod attinet, ita illorum, uti eam STRABO deſcribit,[a] comparata erat forma. *Ante templum ſtratum erat pauimentum, iugero latum, terque aut quater etiam longius, qui magnus aditus ſiue* δρομος *dicebatur. Haec longitudo utrinque ornata erat ſphyngibus, relicto inter ſphynges viginti cubitorum aut etiam paullulum maiori ſpatio. Poſt ſphynges magnum veſtibulum occurrebat, et ulterius aliud, poſteaque tertium. Numerus vero ſeu ſphyngarum ſeu veſtibulorum non ſemper et ubique idem erat; poſt veſtibula magna occurrit nauis ac deinde pars interior templi mediocris magnitudinis, ſimulacrum aut nullum aut beſtiae cuiuſdam. Nauis autem illa alas utrinque habebat, muris diſterminantibus, templa altitudine aequantibus, quibus praegrandes impoſitae erant ſtatuae.* Interiorem quod attinet formam, nullum plane templis ſuum dabant lumen, niſi quod per fores apertas aut aliquam forte tecti partem in ea penetrabat. His enim ſacrorum locorum tenebris deos ipſos gaudere credebant. His arcani auguſtique quid monſtrari, his mentibus praeſertim ſupplicantium horrorem iniici, ac ſedes numinum intus latitantium religioſius coli opinabantur vulgoque perſuadebant; at potius, hac delubrorum caligine malas occultare artes vafre ſtudebant, quibus imperitam multitudinem decipere ludibrioque habere conſueuerunt

a) De

a) *De Situ Orbis*, iuxta *editionem Graeco-Latinam*, cum notis variorum, ſtudio Theod. Ianss. ab Almeloveen; Amſtelod. 1707. fol. *Lib. XVII*

§. XXXI

Horum autem quot fuerint, memoriae proditum non eſt; interim tamen ſuperſtitioſo cultu omnis Aegyptus cum fuerit plena, dubium eſt nullum, quin ſatis magnus eorum exſtiterit numerus. Sed celebriora *Iſidi* ſacrata Diodorvs Sicvlvs, Strabo *Serapidi* dicata commemorauere. *Illa* Memphi fuerunt atque Heliopoli. Et Memphim quidem antiquiſſimam urbem clariſſimumque poſt Alexandriam et Thebas, non procul a mari, Aegypti lumen, non pyramides ſolum, regum ſepulcra, turres faſtigiatae, quae in ipſis ſeptem mundi numerabantur mirabilibus; verum ipſum etiam hoc fanum Iſiacum nobilitabant maxime. In hac cultus religioſi cauſſa, magna perpetuo non aegrotorum ſolum verum etiam aliorum incolarum erat multitudo; in hac Sacerdotum omnia plena. De *Serapidis* autem templo, incubatione itidem clariſſimo audiatur Strabo: Ἐχουσα, inquit, (Κανωβος) το του Σαραπιδος ἱερον, πολλη ἁγιστεια τιμωμενον, και θεραπειας ἐκφερον, ὡστε και τους ἐλλογιμωτατους ἀνδρας πιστευειν και ἐγκοιμασθαι αὐτους ὑπερ ἑαυτων ἢ ἑτερον. Συγγραφουσι δε τινες, και τας θεραπειας, ἀλλοι δε ἀρετας των ἐνταυθα λογιων

§. XXXII

Sed progrediamur ad *obeliſcos*, quorum veſtigia etiamnum maximum intuentibus iniiciunt ſtuporem, in quibus olim condendis Memphitarum Reges maiorem fide pecuniae vim impenderunt,

quo

quo ſui monimenta ſempiternum duratura relinquerent, quorumque ingens praeter haec ſacella erat frequentia, incomparabilis artificii, ſtupendaeque admirationis illa monimenta, quae in urbibus atque agris non ornamenti ſolum cauſſa, verum religionis etiam ergo, hieroglyphicis figuris maxime inſignia conſpiciebantur. Horum omnium maximus erat ante celebratum illum labyrinthum Aegyptiacum, cuius Cretenſis labyrinthus, PLINIO teſte, centeſimam exaequabat partem. Hic et eiuſmodi maiores alii in otioſam atque ſtultam regum pecuniae oſtentationem atque magnificentiam erigebantur, minores autem, quorum ſatis multi erant, in templis et prope ea, atque in domuum quoque ſuarum conſpiciebantur larariis, manifeſto ut opinor documento, numinum illos colendorum cauſſa exſtructos fuiſſe. Inter illos qui superſunt hodienum, maximus procul dubio eſt ille, quem RAMESSEM Aegyptiorum regem exſtruendum atque Thebis collocandum curaſſe, credunt, cuiuſque fragmenta noſtris his diebus Romae conſpiciuntur, poſteaquam, qui hodie Romano-Catholicae Eccleſiae praeeſt, BENEDICTI XIIII. Pontificis Max. ex ruinis nouo eum ſplendore reſtituendi cura, omniſque ſimul ſpes, unquam eum priſco ſuo nitori tradendi, cecidit [a])

a) Conf. Viri Celeb. noſtraeque Academiae veri atque praecipui hodie ornamenti, GEORG. MATTH. BOSII, *Commerc. Epiſtolic. de Obeliſco Seſoſtridis, Auguſti et Benedicti XIV.* ab amicis quibuſdam editum; Gryphiſw. 1751. 4

§. XXXIII

Inter exquiſitiſſima antiquiſſimi ſuperſtitioſi huius Aegyptiaci cultus

cultus monimenta, principem etiam meretur locum celeberrima illa *Menſa Iſiaca*, quae non Iſidis tantum, ſed omnium omnino Numinum Aegypti formam exhibet atque arcana, ut parum abſit, quin tabulam ſacrorum atque ſuperſtitionis Aegypti vocari oporteat generalem. [a] Ipſa tabula poſt captam Romam Anno MDXXV. a fabro quodam ferrario emta fuit, qui illam PETRO BEMBO, unde etiam nonnunquam *Tabula* audit *Bembina*, Viro purpurato magno vendidit pretio. Poſt huius obitum ad Ducem Mantuae peruenit, ex quo tempore in Muſeo Ducum Mantuanorum inter alia cimaelia maxime memorabilia principem occupauit locum, uſque ad Annum MDCXXX. quo, Mantua capta atque ſpoliata, tabula haec ad Cardinal. PAVAM tranſiit, qui eam Sabaudiae Duci eo tempore regnanti dono dedit, quare et hodie adhuc Auguſtae Taurinorum praecipuum Biblioth. Regiae eſt ornamentum. [b] Eſt vero haec tabula figurae oblongo quadratae ex metallo, neſcio quo, confecta, coloris caerulei, admixtis argenteis laminis artificii plane admirabilis, figuris hieroglyphicis refertiſſima. Cum vero poſtero die nomen hoc menſae Iſiacae ad alias etiam tabulas minores, quibus variae caeremoniae ſuperſtitioſi Aegyptiorum cultus depictae ſunt, tranſierit; in *Tab. aen. Fig.* 1. ex SPONII *Miſcellaneis* ſiſtere aliquam placuit, quae ad praeſens noſtrum inſtitutum magis pertinere videtur, utpote in qua tres conſpiciuntur mulieres, pro Iſidis ſacerdotibus habendae. Prior duo vaſa ſtenet manibus, quorum utrique Harpocrates impoſitus, uti ex digito ori admoto apparet; media aliud vas habet, cum eodem Harpocrate; ultima vero vas gerit, cui impoſitus eſt *Apis*, quod, FABRETTO iudice, [c] Iſidem

forte ſignificat, ipſam eſſe naturam, omnium animalium nutricem. Sacerdotes autem atque ſacerdotiſſas deos ſuos in pompa geſtaſſe aliunde conſtat[d]

a) In explicanda hac tabula multi vires ſuas periclitarunt homines eruditiſſimi, omnem tamen ni fallor, mouit lapidem LAVR. PIGNORIVS *Expoſitione Menſae Iſiacae*, quae cum eiuſdem *Magnae Deum Matris Idacae et Attidis initiis*, aliiſque Diſſertatt. prodiit Amſtel. 1669. 4. cum fig. quamquam MONTEFALCONIVS putauit, meras illum propoſuiſſe coniecturas. ATHAN. KIRCHERVS autem, qui poſt eum rem adgreſſus eſt, in *Oedipo Aegyptiaco*, ſiue *univerſal. hieroglyphicae veteris doctrinae inſtauratione;* Rom. 1652. fol. audacem nimis atque ſecurum agit interpretem

b) Magnum hic annotaſſe liceat errorem a MONTEFALCONIO commiſſum, in Opere illo ſplendido ſupra laudato, *Tom. II. p. 331.* ubi tabulam Pignorianam, quam minori forma repraeſentare voluit, non ſolum facie ſiſtit inuerſa, verum etiam in commemorata expeditione Mantuana paenitus eam periiſſe aſſerit; quem etiam errorem commiſit Clar. SEMLERVS in *Compendio commemorato magni illius Operis p. 175.* Vid. IO. GEORG. KEYSLERS *Reiſebeſchreibung durch Deutſchland, Italien* caet. Hannou. 1751. 4. *Tom. I. pag. 194*

c) Vid. Eius *Inſcriptionum antiqu. explicationem;* Rom. 1702. fol.

d) Plura eiuſmodi anaglypha ex aliis auctoribus collecta MONTEFALCONIVS exhibet *loc. cit.*

§. XXXIIII

Diebus autem *feſtis* enarrandis, non eſt, quod diu immoremur, cum ex inſtituto iam de iis expoſuerit BERNARDVS MONTEFALCONIVS. Habebant eorum quamplurimos, in quibus tamen ſex caeteris celebriores erant. Et ex his alter, *Buſiri* in hono-

honorem Isidis, ubi Memphitico illo haud incelebrius, ſed pariter ampliſſimum huius Deae, conſtructum erat templum, ſumma celebrabatur caerimonia, in qua poſt ſacrificia oblata, viri mulieresque ſeſe verberabant, gladiis vulnera ſibi in fronte infligebant, quaeque huius generis alia abſurda inſaniae ſuae erant documenta. Praeterea autem aliae etiam, quas recentioribus quoque temporibus inter Romanos celebratas fuiſſe conſtat, conſtitutae *Iſidi* ſacrae erant dies. Saltem diſertiſſime Avsonivs[a] memorat *Natalem ratis Iſiacae*, peregrinum ſacrum, atque idem prorſus cum Nauigio Iſidis, cuius ſolemnia Romae antiquitus peragebantur.[b] Sed haecce ſolemnia paenitus aliena erant, ab eo Iſidis feſto, quod menſe Nouembri celebratum comperimus, cuiuſque cauſſa, is menſis formam habitumque *Iſiaci Sacerdotis*, apud veteres, induitur. Talis conſpicitur apud Graevivm,[c] eamque in rem circumfertur hoc, quod Avsonii eſſe volunt, Tetradiſtichon:

Carbaſeo ſurgens, poſt hunc, (Octobrem) *indutus amictu,*
Menſis, ab antiquis ſacra, deamque, colit.
A quo vix auidus ſiſtro compoſcitur anſer,
Deuotusque ſatis ubera fert humeris. [d]

Qui quidem dies feſtus qualis fuerit, anque eo ad Iſidem Salutarem reſpexerint, aliis diiudicandum relinquimus

a) D. Magnvs Avsonivs in *Ecloga de feriis romanis*, inter Opp. eius iunctim edita, ex edit. Iac. Tollii, Amſt. 1671. 8. v. 24

b) Conf. Dempsteri *Calendarium Romanum*, apud Graevivm *Theſ. Antiquitt. Rom. Tom. VIII. p. 116.* aliaque *Kalendaria Romana vetera, ibid. pag. 21. 98.* caet.

c) *Loc. cit. pag. 102*

d) Vid. Petri Lambecii *Not. ad Kalend. vet. ibid. p. 112*

§. XXXV

Vnum vero ſilentio praetereundum non eſt, quod, uti aliorum Numinum myſteria pompaeque inſtrumentorum gaudebant ſtrepitu; ita idem hoc in Iſidis myſteriis obſeruatum fuiſſe legamus. *Siſtrum* intelligo, inſtrumentum oblongum cum capulo, cuius medium vacuum transuerſis ſiue aeneis ſiue ferreis, nunc ternis nunc quaternis virgulis inſtructum erat, et ita comparatum, ut pars ſuperior inferiori eſſet latior, et plerumque in dimidium abiret circulum. In cacumine eius ſaepius forma felis, vel ſphyngis, vel loti, vel globi, vel aliud quid ſimile conſpiciebatur; quod ut eo appareat clarius, figuram eius in *Tab. aen. Fig.* 2. *et* 3. ante oculos lectoribus poſuimus. Hoc igitur ſacerdotes ad edendos ſtrepitus utebantur, unde etiam eos *ſiſtratam turbam* MARTIALIS appellat,[a] ſiue quod manibus quaſſatum, hirundinis, in quam Iſis ſecundum nonnullorum fabulas mutata fuit, ſtridentem exprimeret ſonum; ſiue quod motus illius, reciproci Nili, ceu SERVIVS putat, indicaret naturam, cuius cauſſas Aegyptios eidem Iſidi, tanquam lunae aſſignaſſe accepimus. Ipſam autem inde Diuam crepitanti conſpicuam ſiſtro, tot veterum loca auctorum, numque referunt et ſtatuae.[b] Aliud, quod pari modo ſilentio inuoluendum non eſt, in ſacris Iſiacis ſolenne hoc erat, quod ſacerdotes ramum gererent, quodque manus eorum ſiniſtra deformata conſpiceretur, uti ex haud paucis apparet nummis.[c] Et quamquam negandum non ſit, quod manus hae in ipſis hiſce numiſmatibus conſpicuae, ceſtui aptatae magis videantur: non tamen eſt, quod ab ipſius Iſidis myſteriis ullo modo hoc alienum iudicemus. Quamuis enim recentioribus

demum

demum temporibus, et longe poſt Iſidis aeuum, in Graecia, pugillatus atque res athletica omnis ad Medicinam applicata fuerit: dubium tamen plane eſt nullum, quin, ipſa ſilente hiſtoria, Iſidis ſacra variis quoque exercitationibus reddita fuerint illuſtriora

a) *Epigr. Lib. XII. Ep. XXIX.* Verum autem Sacerdotis Iſiaci ſimulacrum, vide, ſi placet in ATHAN. KIRCHERI *Oedipo Aegypt. Tom. III*

b) Vid. PAVL. ALEXANDR. MAFFEI *nella Raccolta di ſtatue antiche e moderne;* Rom. 1704. fol. *Num. 143.* et quae ad hanc ſtatuam in obſeruationibus commentatus eſt. Argumentum vero hoc omne, erudite excuſſerunt BENED. BACCHINI opuſculo *de Siſtris, eorum figura ac differentiis;* quod cum notis IAC. TOLLII exſtat recuſum in IOH. GEORG. GRAEVII *Theſ. Antiquitt. Rom. Tom. VI. pag. 409. ſeqq.* et HIERON. BOSSIVS in *Iſiaco*, ſiue de *Siſtro* Tract. qui exſtat in ALB. HENR. DE SALLENGRE *Nouo Theſ. Antiquitt. Rom. Vol. II*

c) Vid. RICHARDVS MEAD, *loc. cit.* qui nummos eiuſmodi plures exhibet. Succinit illi MACROBIVS *Saturnal. Lib. I. Cap. XVII.* atque APVLEIVS *de aureo Aſino Lib. XI.* ubi totam pompam Iſidi ſacram deſcribit

§. XXXVI

His vero templis omnibus, his caerimoniis, his diebus feſtis, his pompis praefecti erant ſacerdotes, quibus ſolis noſſe, aut, uti LVCANVS ait, neſcire datum erat arcana Deorum, quorum quanta fuerit dignitas, quanta auctoritas, quanti reditus, ex DIODORO SICVLO intelligas.[a] Non enim illi ſolum ſacra, quibus praeerant, adminiſtrabant omnia, atque a templis ſuis longe atque diu ſecedere nullo debebant modo: verum etiam conſiliorum ad ſanitatem remediis recuperandam pertinentium directores erant atque promi-

condi, qui preces aegrotorum, numinum opem implorantium, ad hos ipſos deos deferebant, remediaque, quibus curandae eſſent aegritudines ab eis accepta, ſupplicantibus iterum indicabant, et deinde, ſi votis illa reſponderent, ea ipſa cum omnibus, quae in his morbis obſeruata fuerant, partim in librum quendam, qui *ſacri codicis* nomine poſtea veniebat, referebant, partim autem tanquam ſecretiora, ſeparatim annotabant; quo fiebat, ut, cum multorum annorum obſeruationibus multa in Medicina remedia explorata, haecque ipſa in artis quaſi formam quandam reducta fuiſſet, pro oraculis ea haberentur, primaque ſua inde Medicina caperet incrementa

a) Vtpote quo teſte *Lib. II. p. 66.* tertia pars Aegypti ſacerdotibus tributa erat, ut vitam inde ſuſtentarent, cultuique deorum neceſſaria procurarent. Plura de ſacerdotibus cupientes ablegandi ſunt ad HELIODORI *Aethiopic. Lib. III.* iuxta edit. Gr. Lat. cum interpret. STANISL. WASCHEWICZKII ex animaduerſ. IO. BOVRDELOTII; Lut. Pariſ. 1619. 8. *p. 156.* atque DIOG. LAERTIVM in *Vita* PLATONIS *Lib. III.* ſui *de Vitis et dogmatibus Philoſoph.* operis, iuxta edit. Gr. Lat. cum annotatt. ISAACI CASAVBONI etc. ex recenſ. MARCI MEIBOMII; Amſtel. 1692. 4. *Segm. VI. p. 168.* De habitu autem eorum prolixe expoſuit MONTEFALCONIVS

§. XXXVII

Cum enim, quos hodie habemus, qui Medicinam profiterentur, nondum eſſent conſtituti; quotieſcunque morbo aliquis opprimeretur, de ſanitate recuperanda ſollicitus, iuxta ea, quibus a primis ſtatim unguiculis imbuebatur, religionis placita, ad horum ipſorum confugere Numinum iubebatur ſacella, vota pro ſalute ferre, auxilium ab iis implorare, quamque dii, uti credebant,

vel

vel potius ſacrificuli curationem volebant adhibendam, proſequi. Pro diis itaque rem peragere omnem oportebat ſacerdotes, qui non alia de cauſſa ſanationis gloriam illis adſcribebant, quam ut Medicinae maiorem conciliarent auctoritatem, hacque ipſa ſanandi ratione reliquis ſuis inſtitutis, maiorem adſtruerent fidem. Omnis vero haec actio cum ſomno plerumque fieri ſoleret, *Incubatio* dicebatur *in fanis deorum*, graecis autem ἐνκοιμησις [a])

[a]) De hoc argumento legi merentur HERRM. CONRINGIVS Exerc. Acad. *de incubatione in fanis deorum, medicinae cauſſa olim facta;* Helmſt. 1659. quam recudendam curauit Vir praeſtantiſſimus, IVL. CAR. SCHLAEGERVS, *Faſc. Diſſert. rar. de Antiquit. ſacr. et prof.* Helmſt. 1742. *p. 125. ſeqq.* atque ADAM. BRENDELIVS, noſtrae quondam Academiae ornamentum, Diſſ. binis, graeco idiomate exaratis, dignisque, quae a pluribus legi poſſent, quibus graecae litterae ſordent, nihilque lectu dignum videtur, niſi quod germanice ſcriptum eſt: τα περι την ἐνκοιμησιν; et περι των Φαρμακων εν τοισιν ἱεροισιν ἐνκοιμησει παρα Θεων ητημενων; Vitemb. 1701

§. XXXVIII

Quae quidem ipſa antequam uberiori ſubiiciamus diſquiſitioni, ab re alienum non eſſe puto, ipſam ſacerdotum conditionem duce inprimis CLEMENTE ALEXANDRINO [a]) plenius enarrare. Ita vero latine redditus ſeſe habet locus, qui quamuis longior ſit, decies repetitus placebit: *Suam quandam ac peculiarem exercent Aegyptii Philoſophiam. Hoc autem maxime oſtendunt ſacrae eorum caerimoniae. Primus enim procedit* CANTOR, *unum aliquod afferens ex ſymbolis Muſicae. Eum dicunt oportere accipere*

cipere duos libros ex libris Mercurii: ex quibus unus quidem continet hymnos deorum; alter vero rationes vitae regiae. Poſt cantorem vero procedit HOROSCOPVS, *qui in manu habet horologium et palmam, ſymbola Aſtrologiae et ſigna. Eum libros Mercurii, qui tractant de Aſtrologia, qui quidem ſunt quatuor numero, oportet ſemper habere in ore. Ex quibus unus quidem eſt de ordine inerrantium, quae videntur, aſtrorum: alius vero de coitu et illuminatione Solis et Lunae; reliqui de eorum ortu. Deinceps autem* ʽΙΕΡΟΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ, *id eſt,* SCRIBA *ſacrorum, pennas habens in capite, et librum in manibus ac regulam, in qua eſt et attramentum ad ſcribendum, et iuncus, quo ſcribunt, progreditur. Hunc oportet ſcire et ea, quae vocantur hieroglyphica, et mundi deſcriptionem, et geographiam, et ordinem Solis et Lunae, et quinque errantium, Aegyptique chorographiam et Nili deſcriptionem, et deſcriptionem inſtrumentorum ornamentorumque ſacrorum, et locorum eis conſecratorum, menſuraſque, et ea, quae ſunt in ſacris utilia. Deinde poſt eos, qui prius ſunt, ſequitur, qui dicitur* ΣΤΟΛΙΣΤΗΣ, *id eſt,* ORNATOR, *qui iuſtitiae cubitum, et ad libandum habet calicem. Is ſcit omnia, quae vocantur* παιδευτικα, *id eſt, ad diſciplinam et inſtitutiouem pertinentia, et* μοσχοσφαγιςικα, *hoc eſt, quae ad ritum mactandorum ſpectant vitulorum. Sunt autem decem, quae pertinent ad honorem eorum, qui ſunt apud eos, deorum, et Aegyptiam continent religionem: nempe ſacrificia, primitiae, hymni, preces, pompae, dies feſti, et quae ſunt his ſimilia. Poſt omnes exit* PROPHETA, *qui aperte in ſinu geſtat hydriam:*

quem

quem ſequuntur, qui emiſſos panes portant. Is, ut qui ſit ſacrorum praefectus, ediſcit libros decem, qui vocantur Sacerdotales: continent autem de legibus, et diis et uniuerſa ſacerdotum diſciplinae: Propheta enim apud Aegyptios praeeſt etiam diſtributioni vectigalium. Sunt ergo quadraginta duo libri Mercurii valde neceſſarii, ex quibus triginta quidem et ſex, qui continent omnem Aegyptiorum philoſophiam, ediſcunt ii, qui ante dicti ſunt: reliquos autem ſex παςοφοροι, *id eſt, qui geſtant pallium, et qui pertinent ad medicinam, nempe de conſtructione corporis, et de morbis, et de inſtrumentis, et medicamentis, et de oculis, et poſtremo de mulieribus* a.

a) Vid. EIVS *Stromatum Lib. VI.* in *Opp. eius* iunct. editis *Gr. Lat.* a FRIDER. SYLBVRGIO; Colon. 1688. *p. 633. ſeqq.* aut, ſi mauis, iuxta editionem itidem Gr. Lat. recognitam et illuſtratam per IO. POTTERVM, Epiſc. Oxonienſ. Oxon. 1715. fol. *Cap. IV.* Conf. IOANNIS MARSHAMI *Canon chronicus Aegyptiacus*, caet. ex edit. OTTON. MENCKENII; Lipſ. 1676. 4. *p. 241*

§. XXXVIIII

In hac CLEMENTIS narratione, quodſi pleraque, vel aliqua ſaltem non falſa ſunt, omnem certe *Medicinae Aegyptiacae* ſiſtunt nobis faciem, magnificamque de illa perſuadent nobis ideam, quamquam ad priores illorum ſacerdotes ſi retuleris, valde dubitari poteſt, multam an mereantur fidem. Sed miſſis iam reliquis omnibus, quid ſibi hac in ſcena παςοφοροι velint, et cur in ea poſt omnes alios appareant, poſtquam proceſſionem cum propheta ſuo ALEXANDRINVS iam clauſerat, quaeri in primis debet, no-

 bis-

biſque explicandum incumbit. Cum aliis dicta ſi conferantur, quae in contemtum eorum a nonnulis proferuntur; [a] leuiſſimam ſane eorum conditionem fuiſſe videbimus. At ſi aliis credere licet, qui *Paſtophororum* coetum, magni in ſacerdotum collegio fuiſſe nominis, [b] iiſque eos functos fuiſſe negotiis, aſſerunt, quae non, niſi a praecipuo quodam peragi potuerunt ſacerdote: [c] nihil profecto Medicorum antiquiſſimi illius temporis dignitati derogaturum id arbitror, quod ultimo ab eo nominentur loco; ut potius eorum prae aliis oſtendat eminentiam praeſtantiamque

a) Ex horum numero inprimis commemorandus eſt CONRINGIVS, qui, cum magnifice primum de Aegyptiis ſentiret, (vid. EIVS *de Antiqq. Academ. Diſſ. I. edit. cit. p. 1. ſeqq.*) mutauit poſtea ſententiam; cumque euincere conaretur, nec *Hermetem* fuiſſe medicum, nec libros eius quoſdam, praeſertim medicos, Aegyptiis innotuiſſe: (vid. *de Hermet. medic. Lib. I. Cap. II.*) fuerunt, inquit, porro his ſacerdotibus *miniſtrorum quaſi loco*, *οἱ παστοφόροι*, artem medicam - - - profitentes. In Clemente certe haec ita non exſtant, nec video, qua CONRINGIVS ratione motus, Paſtophoros, reliquorum ſacerdotum coetui, quaſi adiunxerit ſatellites

b) Vid. APVLEIVS *Metamorph. Lib. XI. p. 265. et 271*

c) Conf. HENR. STEPHANI *Theſaurus Linguae Graecae;* Pariſ. 1572. fol. voce *Paſtophori*, qui pro eminentiſſimis inter ſacerdotes habitos eos fuiſſe aſſerit

§. XXXX

Quod ut eo appareat clarius, agedum, omnem eorum conditionem contemplemur curatius. Ex eis, quae ab initio libelli dicta a me ſunt, apparet, antiquiſſimam Aegyptiorum ſapientiam in

Aſtrorum

Aſtrorum inprimis cognitione, muſica, geometria atque ethica conſtitiſſe, maxime tamen omnium aeſtimatam fuiſſe medicinam, quae inprimis aſtrologiae innitebatur, muſicamque habebat comitem. CLEMENS igitur ALEXANDRINVS, mihi quidem praeſtantiam, hac enarratione, deſcribere videtur Medicinae, quod ut eo melius perficiat, antequam ad eam ſacerdotum claſſem venit, qui ex inſtituto rem tractabant medicam, omnes reliquos eorum nominat ordines, qui medicinae rectius excolendae auxiliatrices quaſi praebebant manus; et ſine quibus medicina nec diſci nec exerceri, ut debebat, poterat. Hinc primo loco *Cantor* conſpicitur, qui numinum ſuorum canit encomia, certo documento, quód, quamuis falſa maximeque ſuperſtitioſa eorum erat religio, primarium tamen officium eſſe crederent, Deos noſſe eoſque venerari. Poſt cognitionem Deorum, maximi eſſe momenti arbitrabantur, res etiam creatas contemplari, in quibus corpora coeli prae aliis, illuſtriora illis, nec male, videbantur, hinc ſequebatur *Horoſcopus*, hoc eſt, ille ſacerdotum ordo, cui incumbebat, in aſtris verſari, eorumque excolere ſcientiam. [a] Corpora quandó nouerant coeleſtia, nunc etiam a *Scriba* diſcebant, ea quae ſub ſole ſunt, hoc eſt Geographiam atque Geometriam. His autem etiam cognitis, ea demum ſibi reddebant familiaria, quae ad cultum pertinebant deorum ſacrificiis abſoluendum, hique *Stoliſtae* vocabantur ſiue ornatores. Et haec omnia quaſi, ut ita loquar, proemialia erant, ſine quorum notitia ſacerdotum officiis fungi plane non poterant. Nunc denique veniebant ſacerdotes proprie ſic dicti, quorum alii Deorum dicati erant cultui, hique erant *Prophetae*, alii corporis

pore Sicvlvs,[c] ita de Iſide ſcribens: *Quam ob cauſſam*, (ob peritiam ſcilicet medicam) *nunc quoque ad immortalitatem elata, ſanatione hominum maxime gaudeat, et in ſomnis, ſi quis opem expetierit, manifeſtam numinis praeſentiam, promtamque indigentibus bene merendi facultatem exhibeat. - - - In ſomnis enim adſiſtentem aegrotis remedia contra morbos ſubiicere eique morem gerentes, nec opinato conualeſcere. Multos etiam a medicis propter morbi difficultatem deſperatos ab hac ſalutem accipere, plurimoſque oculis prorſus captos, aut alia corporis parte mutilatos, ſi ad Deae huius opem confugerint, in priſtini vigoris integritatem reſtitui.* De *Serapidis* templo, eam ob cauſſam ſacro, euolui meretur Reinesivs,[d] Strabo[e] Artemidorvs,[f] aliorum in praeſenti, recentiorum inprimis temporum teſtimonia, ut taceamus

a) *Amoenitat. Philolog. Med. pag. 63. ſeqq.*

b) Diſp. Acad. *de Incrementis artis medicae per expoſitionem aegrotorum apud veteres in vias publicas atque templa;* Lipſ. 1739. et in forma libelli recuſ. ibid. 1749. 4

c) *Loc. cit. Lib. I. Cap. XXV*

d) *Syntagmate Inſcript. antiquar.* Lipſ. 1682. fol. *Cl. I. num. 134*

e) *Lib. XVII*

f) *Oneirocrit. Lib. V. Cap. XCII*

§. XXXXIIII

Incubaturis autem varia peragenda erant ante, quam id facere aggrederentur, quibus propitia reddi Numina volebant ſomniaque iis dari ſalutaria. Sic abſtinebant per aliquot dies a cibo et potu, ut ad commercium cum Diis accederent aptiores atque digniores.

Deinde

Deinde ſacra faciebant, immolatis arietibus vel ouibus, quorum pellibus ſubſtratis, captantes ſomnia dormire ſolebant; [a]) ita enim VIRGILIVS elegantiſſime: [b])

Hinc Italae gentes omniſque Oenotria tellus
In dubiis reſponſa petunt: huc dona ſacerdos
Cum tulit, et caeſarum ouium, *ſub nocte ſilenti*
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petiuit.

Ad peragenda ante incubationem, alii etiam hoc pertinuiſſe addunt, quod petituri per ſomnium medicinam, ex aqua lauarentur marina, quaeque huc ſpectant complura praeter ea alia. [c]) Sic igitur praeparati nunc incubabant, variaque ſomnia capiebant, aut ſaltem res ſibi euenturas videre ſibi perſuadebant, vel etiam eorum imaginem tantum atque ſymbolum aliquod, vel denique Deos ipſos oracula ſibi edentes; quamuis non ſemper neceſſarium erat, ut ipſi incubarent aegroti, ſed ſacerdotes etiam idem pro illis facere poterant, ſuppoſitiſque codicillis obſignatis, quibus, quae petebantur inſcripta erant, incubantes eodem ſucceſſu, illorum loco haec capere ſomnia.

a) Plura de hoc argumento cupientibus, videre atque legere praeſtabit ALEXANDR. AB ALEXANDRO *Dier. Genialium Lib. III. Cap. XXVI.* iuxta edition. cum commentar. A. TIRAQVELLI et aliorum; Lugd. Bat. 1673. 8. IO. ALSTORPHII Diſſ. Philol. de *Lectis veterum*; Amſtel. 1704. *Cap. V.* de *More dormiendi in pellibus*, et *Cap. XI.* de *Lectorum uſu extraordinario.* An autem verum ſit, quod CASAVBONVS ad ATHEN. *Lib. VI. Cap. VIII.* notat ex hac veteri ſubſternendi δερμα, ſiue pellem, conſuetudine, ipſum verbum *dormire* originem ducere, aliis diiudicandum relinquimus

b) *Aeneid.*

b) *Aeneid. Lib. VII. v. 85*

c) Legatur inſtar omnium laudatus HVNDERTMARKIVS *loc. cit.* §. *III. Sect. II. pag. 36. ſeq*

§. XXXXV

Qui igitur hoc modo ex grauioribus nunc conualuerant morbis, meritam benefico Deo gratiam iuſtis honoribus et memori mente perſoluebant, curabantque, ut tum morborum hiſtoriae, tum auxilia, quibus ii depulſi fuerant, columnis templorum, aut tabulis in his ſuſpenſis inſcriberentur. Factum autem hoc ab aegris non ſolum conualeſcentibus; verum ab eorum etiam cognatis fuiſſe atque amicis, tabularum eiuſmodi, relictarum nobis antiquitus teſtantur exempla ſatis multa, quae apud GRVTERVM, REINESIVM, HIERONYMVM MERCVRIALEM alioſque proſtant. Et quamuis ex antiquiſſimis illis Aegyptiacis, temporum iniuria, nulla nobis hodie ſuperſit, ex recentiori tamen aeuo, quaſdam hic protuliſſe iuuabit. Sic IAC. SPONIVS, inter alias nobis etiam conſeruauit hanc: [a]

ISIDI · SERAPIDI · LIBER
LIBERAE · VOTO
SVSCEPTO · PRO · SALVTE
SCAPVLAE · FILI · SVI
P · QVINCTIVS · PARIS
S · L · M

Atque apud REINESIVM, ſequens exſtat, in marmore *Albae Iuliae Tranſſiluanorum* inuento [b]

ISIDI

ISIDI· ET· SERAP
SACRVM
EX· VOTO
PRO· FILIOLI· SALVTE
SVSCEPTO
SAVRANA· FECIT·

Et apud CVPERVM denique alia legitur, quae ſic ſe habet

I· S· I· P· D· M
ISIDI SALVTARI
PRO· SALVTE· Q· VERGILI
MODESTI· CASSIA· MAT
V· S· D·

a) Vid. EIVS *Itinerar. Tom. I. pag.* 365

b) Vid. EIVS *Syntagma Inſcript. antiqu. Cl. I. p.* 167. quaeque ad ipſam hanc Inſcriptionem commentatus eſt, ubi in ultima SCAVRIANA legendum vult

§. XXXXVI

Sed vero, qui ſic ex incommoda valetudine emerſerunt, Deo et eius ſacerdotibus medicis gratiam, non ſola illa publica beneuolentiae ſignificatione, ſed remuneratione etiam et datis poſitiſque maximis beneficiis perſoluerunt. Cuiuſmodi liberalitatis et munificentiae exemplum ex marmore Romae inuento, et in aedibus Barberianis aſſeruato propoſuit nobis eruditiſſimus et omnis antiquitatis peritiſſimus Medicus, IACOBVS SPONIVS. [a] Ipſae autem *Tabulae*, de quibus dictum eſt, in templi, quod reddebat illis valetudinem, ex parietibus ſuſpenſae *votiuae*, [b] vel *pictae* erant, vel *ſcriptae*. In *pictis* membri, quod dolor antea preſſerat, exprime-

bant communiter effigiem, immo interdum ligno aut aere efformatum etiam, *in imaginem rei, cuius atrocitate iudex erat commouendus*, ceu ſcite ait QVINTILIANVS,[c] illud erat. Hoc ſaltem comprobare mihi videtur ipſa Scriptura ſacra,[d] illud ex monimento videre eſt, quod TOMASINVS nobis ſiſtit,[e] maxime autem ex Priapeio elucet carmine, ubi *Tabula votiua*, *memoris tabellae* nomine concinne inſignitur:

Cur pictum memori *ſit in* tabella
Membrum, quaeritis, unde procreamur?
Quum penis mihi forte laeſus eſſet
Chirurgique manum miſer timerem:
Diis me legitimis, nimiſque magnis,
Vt Phoebo, puta, filioque Phoebi,
Curatam dare mentulam verebar.
Huic dixi, fer opem, Priape, *parti,*
Cuius tu, pater, ipſe par videris;
Qua ſalua, ſine ſectione, facta,
Ponetur tibi picta, quam leuaris,
Parque, conſimiliſque, concolorque.
Promiſit fore, mentulamque mouit
Pro nutu Deus, et rogata fecit[f]

Pulcherrima eiuſmodi tabula, quam ad pictas referre licebit, adhuc etiam Romae exſtat, eodem TOMASINO teſte, ubi ſcilicet figura duarum plantarum pedis, adſcriptis literis H. D. candido marmori inſculpta videtur. Haecque ita inualuit conſuetudo, ut non apud Graecos ſolum atque Romanos, verum apud ipſos etiam

maiores

maiores noſtros, *Germanos* veſtigia illius deprehendas. [g] Interdum in eiuſmodi tabulis votiuis ipſas etiam eorum imagines expreſſas fuiſſe, qui conualuerunt, STRABO [h] ſuo teſtimonio comprobat. De omni vero hac, Diis referendi gratiam, ratione, ſilentio praeterire non poſſum illud, quod de Virginibus furore uterino liberatis HIPPOCRATES profert exemplum, ita diſſerens: *Φρονησασης δε της ἀνθρωπȣ, τη Ἀρτεμιδι ἁι γυναικες ἀλλα τε πολλα, ἀλλα δη και τα πολυτελεςατα* ΤΩΝ ΙΜΑΤΙΩΝ *καθιερȣσι των γυναικειων, κελευοντων των μαντεων, ἐξαπατεωμεναι.* [i] Ex quo ſaltim clarum fieri opinor, quantae ritus ille ſit antiquitatis. Taceo in praeſenti, quod ipſum denique *aurum atque argentum ſignatum*, uti ex PAVSANIAE elucet teſtimonio, eundem in finem, Diis a conualeſcentibus fuerit oblatum

a) In *Miſcellaneis Eruditae Antiquitatis Sect. II. Art. XI.* EIVSD. *Recherches curieuſes d'Antiquité Diſſ. XXIII. p. 326*

b) Cuius rei teſtis eſt ſatis locuples, Vir praeſtantiſſimus IACOB PHILIPP TOMASINVS, de *Donariis et Tabellis votiuis;* Patau. 1654. 4. atque recuſ. in I. G. GRAEVII *Theſauro Antiqq. Romanar. Tom. XII. p. 737. Cap. VII*

c) *Inſtitut. Orat. Lib. VI. Cap. I.* cum notis var. ex recenſ. PETR. BVRMANNI; Lugd. Bat. 1720. 4. qua de re poſt BVRMANNVM atque GESNERVM, Viros clariſſimos, eleganter egit CONRADI, celebris, dum viueret, Themidis Sacerdos, *Miſcell. Lipſ. Vol. IV. p. 511*

d) Vid. *1. Sam. VI, 4. ſeqq.* ubi de Philiſtaeis dicitur, quod *quinque anorum ſuorum imagines*, ad DEVM Iſraelitarum cum arca foederis mittendas iuſſi fuerint a ſuis ſacerdotibus, ut morbo ani, quo laborarent, medeantur; ex quo certe loco luculenter apparet, conſuetudinem hanc et

 apud

apud hanc gentem inualuiſſe. De ipſo autem hoc morbo, qualis fuerit, valde inter ſe diſcrepant Scripturae S. interpretes; videantur tamen DOVGHTAEVS *Analect. Sacr. P. I. Excurſ. LXXV. p. 128.* BOCHARTVS *Hierozoic. Part. I. Lib. II. Cap. XXXVI. pag. 365.* GEORG. WOLFG. WEDELIVS Propempt. *de morbis ani Philiſtaeorum;* Ienae 1720. IO. IAC. SCHEVCHZERVS, in *Phyſica ſacra*, ſplendidiſſimo illo opere, *Tom. II. p. 68. Tab. 389.* atque IO. IAC. SCHMIDT *im bibliſchen Medico, p. 541. ſeqq.* etc.

e) *Loc. cit. Cap. II. pag. 754*

f) Ex quo ſaltem haud obſcure patere arbitror, morbos venereos adeo incognitos antiquis illis temporibus non fuiſſe, uti communiter putatur.

g) Vid. IO. IAC. FREY Diſſert. *de more Diis ſimulacra membrorum conſecrandi;* Altorf. 1746. MEINDERERVS de *Statu religionis ſub Carolo M. p. 212. ſeq.* IO. GE. KEYSLER. *loc. cit. p. 264*

h) *Deſcript. Graeciae*, iuxta edit. SYLBVRGII et IOACH. KVHNII; Lipſ. 1696. fol. *Lib. I. Cap. XXXIV*

i) Πεϱι παϱθενιων, edit. *Lindenianae, Tom. II. p. 357. §. 2*

§. XXXXVII

Scriptae autem *votiuae tabulae* diuerſimode erant comparatae. In aliis nomen tantum Dei, aut Deae, aut utriuſque cuius beneficio quis conualuerat, conſpiciebatur, addita gratiarum actione. Et de his quidem actum iam fuit ante. Hae ſunt, de quibus TIBVLLVS, ad ſupra laudatam reſpiciens *Iſidim*, ſuo cecinit tempore:

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi, nam poſſe mederi
Picta docet templis multa Tabella tuis. [a)]

In aliis Numinis non ſolum ſeruatoris nomen adſcriptum erat, verum

rum morbus etiam, quo quis antea laborauerat, nominabatur. In aliis denique praeter haec omnia medicina etiam, qua quis curatus fuerat, enarrata conſpiciebatur, ut reliqua, quae huc ſpectant, taceamus [b])

a) *Lib. I. Eleg. III. 28.* Quae quidem verba non de naufragorum ſuſpenſis in eius fano tabellis, uti THOM. DEMPSTERVS ad ROSINI *Antiquitt. Rom. Lib. II. Cap. II. p. m. 204.* FRIDER. OTTO MENCKENIVS in *Miſcell. Nou. Lipſ. Vol. II. p. 736.* atque IAN. BROCKHVSIVS in *Annotatt. ad h. loc.* iuxta edit. Amſtelod. 1708. 4. volunt, quanquam nauigii etiam fuerit praeſes, interpretanda ſunt, ſed potius ad officium eius pertinent medicum, uti prae aliis HIERON. MERCVRIALIS de *Arte Gymnaſt. Lib. I. Cap. I.* IO. RHODIVS ad SCRIBONIVM de *Compoſ. Medic. Cap. LXXIV.* aliique praeclare oſtenderunt

b) Plura hac de re tradit laudatus HVNDERTMARKIVS *loc. cit. p. 41. ſeqq.* atque DAN. VINCKIVS *loc. cit. pag. 97*

§. XXXXVIII

Hiſce laudabilibus conſuetudinibus, ex quibus, uti locuples teſtis eſt commemoratus HVNDERTMARKIVS, [a]) maxima ars medica capiebat incrementa; aliam nunc addere iuuat, qua aegri in lectica in fora atque vias publicas exponebantur, quo rogarent tranſeuntes, eodemne morbo forſan laboraſſent, atque quo pacto, quoque remedio fuiſſent reſtituti; ubi, ſi quis aliquem morbo laborantem et remedium exſpectantem ſilentio praeteribat, piaculum commiſiſſe credebatur: quem quidem ritum incubatione an antiquiorem, an coaeuum dicam, anceps haereo. De Aegyptiis, de quibus nobis hic ſermo eſt, reliquiſque populis orientalibus,

antiquiſſimis certe hoc factum eſſe temporibus, HERODOTVS auctor eſt,[b] differens: *Alteram item ſapienter conſtitutam habent legem, qua aegrotos in forum efferunt, ut eum adeuntes de languore conſulant, hortenturque ad ea, quibus ipſi faciendis ſimilem morbum effugerint, aut alium effugiſſe nouerint: nec fas eſt, aegrotantem praeterire ſilentio, nec antequam explorauerint, quonam ille laboret morbo*

a) *Loc. cit. Sect. III.* quae tota circa hoc verſatur argumentum, ut ipſa incrementa, quae Medicina inde capere potuerit, explicet

b) *Lib. I. Cap. CXCVII.* adde STRABONEM *loc. cit. Lib. XVI.* IO. LANGIVM *Epiſt. Medicinal. Lib. III. Epiſt. VI.* alioſque plures

§. XXXXVIIII

Ad reliqua, quae antiquiſſimum medicinae apud Aegyptios ſpectant ſtatum, antequam progrediamur, ab re alienum plane mihi haud videtur, paullo curatius inquirere, annon ſub iis, quae hactenus commemorauimus, numinibus eorum ſalutaribus, certi lateant, in ſacris litteris nominati noui orbis conditores, et quinam illi potiſſimum fuerint.[a] Ex iis, quae ſupra ſcilicet expoſuimus, patet, *Oſiridem* primum fuiſſe Aegyptiorum regem, qui non deſertae huic atque inhabitabili regioni colonos dedit ſolum, verum eos ipſos etiam neceſſarias docuit artes. Huius Coniux nomine *Iſidis* a nobis celebrata fuit, quae illius ipſius ſimul fuiſſe dicitur ſoror. Nunc autem Scripturae ſacrae teſtimonio innixi, pariter ſupra iam oſtendimus, Aegyptum poſt uniuerſalem illam eluuionem obtigiſſe *Mizraimo*, filio Chami: quid quaeſo hinc vero eſt ſimilius, quam quod celebratus ille Aegyptiorum *Oſiris* fuerit *Mizraim*, qui, cum

omnis

omnis terra feminis eſſet orbata, germanae ſuae nubere ſorori eo tempore coactus fuit atque ſic cum illa, totius Aegypti conditor fuit atque praeceptor. Quo ſi accedit, quod *Chamus Mizraimi* pater, filii huius ſui perpetuus fuerit comes, dubium nobis ſubeſt nullum, quo minus ſtatuamus Chamum ipſum fuiſſe Hermetem, ſine cuius conſiliis regem Oſiridem atque reginam nihil feciſſe, ſupra dictum fuit uberius

a) Plura hoc de argumento tradunt OLAVS BORRICHIVS, de *Ortu et progreſſu Chymiae p. 57. et 63.* GVIL. CHRISTOPH. KRIEGSMANNVS Comment. *in Tab. Smaragd. p. 12.* atque VOSSIVS *loc. cit. Lib. I. Cap. XXVII.* et *Lib. II. Cap. X*

§. L

Poſt hos autem medicinae in Aegypto conditores, pleroſque ex ſequentibus regibus, arte medica pariter fuiſſe peritiſſimos, memoriae proditum eſt. Celebrantur itaque *Hammon, Athothis, Zoroaſter, Seſorthros, Nechepſus, Ptolomaeus Euergetes* aliique, non ſolum tales, quod populi ſui ſanitati variis inuentis medicamentis, verum ipſis etiam conſcribendis proſpexerint libris, quibus artis medicae praecepta tradidiſſent. [a] Sic *Hammon*, qui inter primae Dynaſtiae reges Aegypti numeratur, arte tela extrahendi vulneraque ſanandi magnum adeptus fuiſſe fertur nomen, ſi SILIO ITALICO fides habenda eſt, qui

Ipſe olim antiquo primum, Garamanticus Hammon
Scire pater dederat Synbalo, morſuſque ferarum
Telorumque graues ictus ſedare medendo

grauiter

grauiter de illo cecinit.[b] *Athotem*, ſiue *Athoſtan*, anatomiae inprimis peritia clarum fuiſſe EVSEBIVS auctor eſt.[c] *Zoroaſter* vero rex Bactrianorum, prae aliis ſumma medicinae cauſſa celebratur laude.[d] Vt de *Necepſo*, ſiue *Nechepſo*, qui varia medica etiam reliquiſſe dicitur ſcripta, ſummaeque apud Aegyptios ſemper fuit auctoritatis,[e] reliquiſque taceamus

a) Vid. VINCKIVS *Amoenitatt. Philol. Med. p.* 222. *ſeqq.*

b) *Punicorum* ex edit. ARN. DRACKENBORCHII, Trai. ad Rhen. 1717. 4. *Lib. V. verſ.* 357

c) De quo quidem infra, in Hiſtoria Anatomiae Aegyptiacae uberius exponemus

d) Magnum hunc inprimis fuiſſe, inter omnes conſtat; naturalis autem magiae peritum illum fuiſſe GABRIEL NAVDEVS, in *Apolog. pro Viris doctis, magiae falſo ſuſpectis, Cap. VIII.* multis comprobauit teſtimoniis. Conf. VINCKIVS *loc. cit. pag.* 223

e) Vid. CONRINGIVS de *Medic. Hermet. Cap. IX. p.* 81. et *Cap. XI. p.* 112

§. LI

At enim vero, quamuis in dubium vocare haud auſim, ipſos etiam hos alioſque etiam reges medicinae habuiſſe notitiam; hoc tamen perſuadere mihi nunquam patiar, ipſos etiam illos artem medicam exercuiſſe. De Sacerdotibus autem hoc certum eſt, atque ſupra, extra omnem poſitum fuit dubitationem. Videamus nunc etiam quid reliqui, qui praeter Sacerdotes, paſſim reperiebantur, ſubſequenti quamquam magis aeuo, praeſtiterint Medici, quorum tot fuiſſe conſtat, ut etiam PLVTARCHVS de eis dixerit, *eorum Aegyptum omnem eſſe plenam.* Horum autem videtur fuiſſe,

morbos

morbos clyſteriis anteuertere, et potabilibus quibuſdam purgamentis, ieiuniis et vomitu corpora medicari. Hi in expeditione bellica, et intra patriae fines peregrinantes, abſque mercede curabant. Ex publico enim annonam accipiebant, et medicinam, ex *lege ſcripta* per multos ab antiquo medicos illuſtres concinnata, applicabant. Leges has, quas ſacri codicis lectio ſupra deſcripti tradebat, ſi ſequuti ſanitatem aegroto reddere non poterant, culpa vacabant, indemneſque abibant; ſin contra praeſcriptum agebant, capitis ſubibant iudicium. Ad morbos autem quod attinet, contra quos auxilia vel in templis, vel etiam a Medicis his nunc ordinariis, aegri quaerebant, tum externos, tum internos, fuiſſe, vel ex loco CLEMENTIS ALEXANDRINI ſupra adducto patet, vel pluribus nunc erit comprobandum

§. LII

Enumeratis igitur hucuſque, quae de medicina Aegyptiorum antiquiſſima in genere exponenda erant, nunc, ni ſatias cepit Lectoris animum, ad ſpecialiora quoque progrediendum eſt, atque quaelibet, quas illa pertractat, conſiderandae veniunt diſciplinae ſingulatim. Vbi quidem, ſi vera ſunt, quae ſupra ex CLEMENTIS ALEXANDRINI propoſuimus teſtimonio, quod de *conſtructione corporis*, *de morbis*, *de inſtrumentis*, *de medicamentis* etc. ſuo iam aeuo tradiderint, dubium ſubeſt nobis nullum, quo minus cum noſtratium hodie medicina facile comparari poſſit. Quod igitur, quae primo quidem loco occurrit, *Anatomen*, hoc eſt, animalium atque humanorum corporum artificioſam diſſectionem,

ſiue de *corporis*, uti iam diximus, *conſtructione* notitiam attinet, ſine qua manca omnis medicina eſt atque imperfecta; plane illius primos Aegyptios fuiſſe ignariſſimos, dicendum non eſt, quamuis etiam de iis intimior eius cognitio affirmari non poſſit. Quod enim de primis ſuis regibus referunt, *Athotim* atque *Toſorthrim*,[a] magnos illos fuiſſe Anatomicos, optimum ſane eſſet teſtimonium, niſi modo iuxta aetatis, quam ipſis tribuunt, computum, mille atque tercentis annis ante conditum mundum eos vixiſſe, neceſſe eſſet, quemadmodum etiam, quod Plinivs omnes Aegypti reges in cadauera inquiſiuiſſe dixit, ad recentiora multo tempora aetatemque Ptolomaeorvm, ubi longe melior iam artis erat facies; pertinere mihi videtur ſicque intelligendum eſſe puto, quod Ptolomaei ſuo in litteras fauore, ad maiorem medicos incitauerint induſtriam[b].

a) Vid. Petri Gerike Progr. *de Athotis Toſorthri et antiquiſſimorum Aegyptiorum Anatomia fabuloſa;* Helmſt. 1739

b) Vid. Schvlzii *Hiſt. Anatom. Spec. I.* atque *Hiſt. Medic. p. 27. ſeqq.* atque A. Cocchi *Diſcorſo dell' Anatomia;* Florentiis 1745. 4. ubi de Anatomia Aegyptiaca pluribus exponitur

§. LIII

Speciosius tamen argumentum eſt illud, quod ſcientiae anatomicae Aegyptiorum patroni ex *ſceletis* ſic dictis, quae iis tribuuntur, deſumere ſolent, quaeque diebus ſolemnibus pompae cauſſa in conuiuiis protuliſſe dicuntur. Si vero Plvtarcho fides habenda eſt, qui ritum hunc expoſuit omnem,[a] dolendum, quod illa non uti noſtra, quae hodie habemus ſceleta, conſtructa fuerint, ſed vel condita et aſſeruata maiorum ſuorum corpora, vel ligneae

etiam,

etiam, hominis tantum figuram exhibentes fuerint imagines. Illud ex DIODORO SICVLO colligo, qui multos Aegyptiorum, maiorum ſuorum corpora multo ſumtu expurgata condiiſſe, eorumque imaginibus valde delectatos fuiſſe, teſtis eſt, immo, uti LVCIANVS habet, [b] conuiuam et compotatorem feciſſe muria conditum et deſiccatum. Quo etiam SILII ITALICI ſpectat effatum:

- - - Aegyptia tellus
Claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora, et a menſis exſanguem haud ſeparat umbram

a) In *Conuiu. VII. Sapientum p. 148.* Ipſe autem etiam teſtatur *Lib. de Iſide et Oſiride*, ex edit. FROBEN. Gr. *p. 334.* ἐιδωλον fuiſſe ἀνθρωπου τεθνηκοτος ἐν κιβολιῳ περιφερομενου, *imaginem hominis mortui, in ciſtula circumgeſtati*

b) In Dial. *de Luctu*

§. LIIII

Sed de *Pollinctura*, ſiue corporum mortuorum balſamatione, plura nobis proferenda ſunt, utpote quam niſi inuenerint Niligenae, ad ſummum ſaltem perduxere faſtigium, et in excolenda illa, ſolo inducti nomen immortalitati tradendi ſtudio atque deſiderio, cumque viderent, famae perennitatem, corporumque aeternitatem hac balſamatione optime obtineri poſſe, nullis pepercerunt ſumtibus. [a] Neque opinio etiam illos fefellit. Teſtes prouoco, quae nobis adhuc hodie ſuperſunt, cadauera eiuſmodi condita, ſua voce dictae *Mumiae Aegyptiacae*, [b] quarum una hodienum in Ampliſſimi Senatus Bibliotheca, quae Lipſiam, patriam urbem, Palladis et Mercurii ſtudiis nobiliſſimam ornat, elegantiſſimi artificii, aliaque ibidem in

Muſeo conſpicitur Boſiano. Ex his ipſis enim non id ſolum apparet, quod a vermibus atque putredine praecaueantur mortalium corpora atque aeternitati tradantur; verum etiam illud inde coniicimus, niſi anatomicae, medicae ſaltim ſcientiae generalis, antiquiſſimi huius aeui, praebere illas nobis argumentum. Ad hanc ipſam autem peragendam balſamationem, a prima inde eius inſtitutione, certum quoddam conſtitutum fuiſſe hominum genus, quod ad ipſum etiam pertinebat ſacerdotale collegium, e DIODORO SICVLO diſcas. c) Ex his autem praecipui et totius quaſi negotii directores erant *ſcribae* dicti, qui et ſumtuum impendendorum conſignationem defuncti propinquis exhibebant, et ubi de mercede iis conuenerat, locum etiam inciſionis deſignabant. Hoc facto, is, qui *inciſor* ſiue *paraſchiſta* vocabatur, abdomen, quantum opus erat, lapide aethiopico incidebat, factaque inciſione celerrime aufugiebat

a) Vid. PLINIVS *Hiſt. Nat. Lib. XI. Cap. XXXVII.* CICERO *Quaeſt. Tuſc. Lib. I.* PLATO in *Phaedone.* Conf. Clar. SALMASII *Plinianae Exercitationes in C. Iul. Solini Polyhiſtora*, iuxta edit. Vltrai. 1689. fol. *Tom. II. p. 744. ſeqq*

b) Vid. ATHAN. KIRCHERI *Sphynx Myſtagoga*, ſeu *Diatribe Hieroglyph. de Mumiis;* Amſtel. 1676. fol. ANDR. GRYPHII *Mumiae Vratislau.* Vratisl. 1662. 12. FRID. THEOPH. KETTNERI, Diſſ. *de Mumiis Aegyptiacis*, *et ſimul de egregia Lipſienſi in Biblioth. inſtructiſſ. Magnif. Senatus;* Lipſiae 1694. rec. 1703. 8. atque iterum in b. Soceri mei, FRANC. ERN. BRVCKMANNI *Epiſt. Itiner. Cent. III. p. 135. ſeqq.*

c) *Biblioth. Hiſt. Lib. I. p. 82.* ex quo loco etiam intelligimus, pollincturam, non humanis ſolum cadaueribus, verum etiam animalibus ſacris deſtinatam atque adhibitam fuiſſe

§. LV

§. LV

Quando corpus erat inciſum, illi porro, ad quos hoc pertinebat, accedebant, qui reliquam ſecti cadaueris curam gererent. Vnus, manu per hiatum ad praecordia immerſa, quicquid inteſtinorum erat, exceptis corde et renibus extrahebat; alius aluum a ſingulis viſceribus repurgatam, vino palmeo aromaticiſque perluebat odoribus. Lotum deinde cadauer, per dies triginta, ſiue ut alii volunt, quinquaginta, [a] quinimmo per ſeptuaginta, [b] nitro macerabant Aegyptiaco; [c] deinde cedrea pice reddebant delibutum. [d] Poſtea myrrha ac cinnamomo, aliiſque non longiori tantum conſeruationi, ſed etiam fragrantiae aptis aromatibus conditum cadauer; quod hoc modo ſingulorum corporis membrorum retinebat integritatem, adeo, ut palpebrarum etiam atque ſuperciliorum pili, totaque corporis ſpecies perſiſteret immutata, priſtinaeque formae effigiem haberet, faſciis lintei byſſini, gummi quodam, quo alias loco glutinis utebantur, intermixto, inuoluebatur, propinquiſque reddebatur

a) *Gen. L*, *1. 2.* in quem locum egregie commentatus eſt, Io. de Mey *Commentariis Phyſicis*, ſ. *Expoſitione locorum aliquot Pentateuchi Moſaici*; Medioburg. 1651. 4. *p. 73. ſeqq.* adde Io. Iac. Schevchzervm *Phyſica ſacra Vol. I. p. 150. ſeq*

b) Herodot. *loc. cit. Lib. II. Cap. LXXXVI*

c) Hoc nitrum Aegyptiacum, quod in pollinctura ſolemne erat, a noſtro nitro fuit plane diuerſum, alcalinae indolis, de quo Strabo *Lib. XVIII.* auctor eſt, ultra Memphin eius fuiſſe fodinas, quae illo abundabant

d) Haec pix cedrea qualis fuerit, et quo facta ſit apparatu, PLINIVS deſcribit *Hiſt. Nat. Lib. XVI. Cap. II.* ex quo intelligas, modum deſtillandi per deſcenſum antiquiſſimae eſſe cognitionis; quin veteres ex eadem cedrea pice oleum quoque ſeorſim acquirere potuiſſe ex DIOSCORID. diſcas *Lib. I. Cap. LXXXIX.* ubi apparatus a noſtro valde diuerſus, ſed ſane curioſus deſcribitur, deſtillationis nomine pariter non indignus. Vnde etiam GALENVS cedriam, nomine olei cedri inſigniuit, *de Medicam. ſimpl. Lib. VII.* Alii picem illam fuiſſe putant, quod vero dudum iam refutauit, IO. BODAEVS A STAPEL *Comment. ad* THEOPHRAST. *Hiſt. Plant. Lib. IX. Cap. II.* Amſtelod. 1644. *p. 971.* Conf. MATTHIOLVS in *Comment. in* DIOSCORID. *Lib. I. Cap. LXXXIX*

§. LVI

Non autem haec corporum conditura una fuit eademque. Diſtinguebatur namque in ſumtuoſiſſimam, mediocrem atque viliſſimam. In *iſtam* DIODORO SICVLO notante, talentum inſumebatur argenti, aluus in ea tantum incidebatur, cerebrumque facto per nares foramine, ferro extrahebatur adunco. *Mediocris*, quae viginti minis redimebatur, ne quidem alui admittebat inciſionem; *ultima* autem perexiguos requirebat ſumtus, et quantum fieri poterat, maximo inſtituebatur compendio. Hanc enim ita deſcribit HERODOTVS:[a] Ἡ δε τριτη ταριχευσις ἐςι ἥδε, ἡ τȣς χρημασι ασθενεςερȣς σκυαζει. Συρμαι διηθησαντες την κοιλιην ταριχευȣσι ἑβδομηκοντα ἡμερας. *Tertia conditura eſt, qua adornantur eorum mortui, qui tenuioris ſunt fortunae: ablutionibus ventrem abſtergunt, arefaciuntque ſale per dies ſeptuaginta.* Dubios hic nos relinquit Hiſtoricus, quemnam intel-

intelligat ſalem, communemne, an nitrum. Quamuis enim interpres reddidit: *arefaciunt ſale;* in graeco tamen tantummodo legitur ταριχεύουσι. Sed cum de ſumtuoſiſſima atque mediocri ſermonem faciens, nitrum expreſſis verbis nominauerit, hic aliud quoddam ſal, quod tanto pretio non conſtitit, indicaſſe videtur[b)]

a) *Lib. II. Cap. LXXXVIII*

b) Plura hoc de argumento legi merentur in CHRIST. HOFFMANNI Diſp. *de Pollincturae antiquitate;* Lipſ. 1669. MELCH. SEBIZII Diſp. *de Conditura ſiue balſamatione cadauerum;* Argent. 1649. atque in aliis, quos §. XXX. Diſput. *de Re medica veterum Ebraeorum* excitauimus. Quibus adde, qui nouiſſime hac in arena militauit, Clar. ROUELLIVM, patria Gallum, cuius eruditiſſima exſtat Diatribe in Hiſt. Acad. Reg. Pariſ. Scient. ad annum 1750. ſed de quo alibi plura

§. LVII

Ab Aegyptiis ritum hunc mortuorum corpora condiendi, ad plures etiam tranſiiſſe gentes, vix negari poteſt. De reliquis ſaltem populis orientalibus, de quibus ſuo tempore exponemus ex inſtituto, dubium hac in re eſt nullum. An vero etiam Ebraei eundem ex Aegypto cum aliis populi huius ritibus in terram Canaan ſecum tulerint, adeo certum non eſt, quamquam exemplum *Iacobi* Patriarchae, eiuſque filii, *Ioſephi*, perſuadere id nobis poſſet, et prioris conditura conſueto etiam atque praeſtituto dierum peracta fuerit numero. Sed cum patri tanquam prophetae et viro eximio, magnis alias in Aegypto viris conſuetum honorem habere voluerit, et praeterea ex ſpeciali DEI mandato corpus *Iacobi* in terram Canaan erat deportandum, (id quod etiam de

Ioſe-

Ioſephi funere affirmari debet) ab eo, ut putredo atque foetor arceretur, hic quidem conditura locum habere potuit, non tamen ut eam inter ſe conſeruarent, niſi quod de maxime memorabili, ultimis Reipublicae Iudaicae temporibus, in ſanctiſſimo ipſius noſtri SERVATORIS corpore a Ioſepho inſtituta relatum legimus[a]) balſamatione, aliud nos credere iubeat, dubiosque relinquat, num-ne illa, quamuis ſilente Scriptura S. in aliis huius populi viris principibus pari modo adhibita fuerit.

a) *Io. XIX, 39.* Ad quem locum inprimis legi merentur, quae commentatus eſt VALENT. HENR. VOGLER, in *Phyſiologia Hiſtoriae Paſſionis Ieſu Chriſti;* Helmſt. 1673. p. 49. atque IO. IACOB. SCHEVCHZER *Phyſica ſacra, Tom. V. p. 1324.*

§. LVIII

Quinam autem illi potiſſimum fuerint, quibus hoc negotium erat impoſitum, pari ratione certo determinari non poteſt. Primis illis temporibus ex ipſo ſacerdotum numero illos fuiſſe, ſupra iam innuimus, atque a DIODORO SICVLO pluribus id expoſitum eſt. Sed ſubſequenti aeuo, cum medicinae ex HERODOTI teſtimonio, in Aegypto ita diſtributa erat profeſſio, ut ſingulorum morborum ſinguli eſſent medici, nullique ſimul plures curandos ſuſciperent; alii autem oculis medicinam facerent, alii capiti, dentibus alii, rurſus alii ventri mederentur, alii denique morbis occultis, ſicque tota Aegyptus plena medicis eſſet; vix affirmare dubito, quo minus condiendis etiam poſt mortem corporibus, peculiares conſtituti fuerint medici. Et corroborare quidem videtur ſententiam meam, quod in ipſa Hiſtoria ſacra ſerui commemorentur Ioſephi medici,

quos

quos LXX. Interpretes ταριχευτας, hoc eſt, *pollinctores* interpretati ſunt; DIODORVS autem ἐνταφιαςας vocat. Ex quo, niſi me fallit opinio, duplex enaſcitur aſſertio: non ſolum, quod pollinctores hi non Medici, ſed, ut noſtro dicendi genio conuenit, potius Pharmacopoei fuerint: verum etiam, quod ſermo hic, ubi ſerui nominantur, non de Medicis ſit, hinc etiam ſeruile nomen in Medicos cadere nequeat.

§. LVIIII.

Ponamus autem etiam, fuiſſe illos, qui Iacobi Patriarchae corpus condierunt, medicos, ſeruos tamen ea propter eo etiam ſignificatu fuiſſe, quo apud nos, hanc vocem receptam fuiſſe conſtat, concedam nunquam. Fuit enim IOSEPHVS, aulicorum regiorum princeps et primus a rege, qui ad clauum regni Aegypti Prorex quaſi ſedebat. Quis ergo eſt qui dubitet, medicos etiam eum quosdam, veluti archiatros, habuiſſe? ſicuti hodienum etiam adhuc videmus, eoſdemque pariter ac illos, qui magno alicui Principi a conſiliis, ab actis, a cubiculis ſunt, miniſtros eius aut ſeruos appellare ſolemus. Accedit quod verbum illud ebraicum עבד, quo ſcriptor diuinus utitur, non ſolum ſeruum, verum etiam aulicum ſignificet quemlibet atque purpuratum, uti ex innumeris aliis locis Scripturae ſacrae facile colligere poſſumus. Quod quidem ſi verum eſt, uti dubitare non licet, ſeruilem fuiſſe eo tempore medicinam, neminem, qui adhuc credat, futurum eſſe ſpero atque confido. Sed cum de hoc argumento, alio loco ex inſtituto agendum nobis ſit, uberiorem illius expoſitionem eo differre placet.

§. LX

Sed cum altioris utique omne hoc de balſamatione corporum argumentum ſit indaginis, quam ut omnia, quae huc ſpectant, praeſcripti commentationi noſtrae limites capere poſſint; uberiorem eorum enarrationem, in aliud, ſi vitam Devs conceſſerit, tempus differre, iamque, unde digreſſi ſumus, redire nobis liceat. Miſeram igitur admodumque rudem priſci illius aeui apud Aegyptios Anatomes fuiſſe faciem, ex iis, quae antea diſputauimus, luculenter apparet. Quibus ſi addideris, quod ne canem interficere interfectumque ſecare illis licuerit, iſque, qui eiuſmodi quid auſus fuiſſet, in vitae periculum certiſſimum incidiſſet, uti Diodorvs Sicvlvs auctor eſt: nullum plane hoc de aſſerto dubitandi ſupererit nobis ratio. Ex animalibus autem ſacris, quae numinibus ſuis immolare conſueuerunt, atque ex iis, quae mactare et ad cibos praeparare ſoliti fuerant, an corporis forſan fabricam ſcrutari curae cuiquam fuerit, aut ſi etiam factum ſit, an magna ars anatomica inde ceperit incrementa, pro certo ſane aſſumi vix poteſt[a])

a) Plura hoc de argumento tradit Io. Henr. Schvlzivs in *Hiſt. Anatom. Spec. I.* atque Phil. Iac. Hartmann Diſquiſ. hiſtoric. de *Re anatomica veterum Diſſ. I. Cap. VI.* §. 35. Quae recuſa exſtant in *Faſcic. Diſſertat. ad Hiſt. Medic. ſpeciatim Anat. ſpectantium*, edito ab Ern. Godofr. Kvrella; Berol. 1754. 8. *p. 398. ſeq*

§. LXI

Quae Anatomes fuit conditio, eandem etiam *Phyſiologiae* fuiſſe, negari non poteſt. Licet enim principia Philoſophica illo-

rum

rum omnia lateant in obſcuro, pauciſſimique hodienum exſtent libri, qui aliquid eius rei attingant, ita, ut praeter id, quod ex IAMBLICHII de *Myſteriis Aegyptiorum* [a]) libro, coniiciendo aſſequimur, aut ex fragmentis Philoſophiae Platonicae et Pythagoricae, recte monente MORHOFIO, colligimus, omnia fere ignoremus: hoc tamen certum eſt, adeo illa eſſe abſurda, adeoque inter ſe repugnantia, ut, vel horum philoſophi valde ieiuni ſint, neceſſe ſit, vel negandum omni omnino ex parte veniat, philoſophorum nomen ullo unquam modo tueri ipſos potuiſſe. Exemplo eſſe poſſunt, quae de corpore docuerunt humano. Huius quatuor eos ſtatuiſſe elementa, auctor eſt DIOG. LAERTIVS, haecque SENECA teſte,[b]) in mares diuidebant et feminas. In omne vero corpus magnam, quemadmodum ſupra expoſitum fuit, vim conſtituebant ſiderum coeleſtium; dogma, quod per multa ſaecula creditum fuit, ad plures tranſiit gentes, et forſan adhuc ipſis noſtratium inſidet animis, qui quamquam

Aerias tentaſſe domos, animoque rotundum
Percurriſſe polum,

ſiderumque cognouiſſe indolem videntur, omnem tamen proſperam et aduerſam corporis valetudinem, a ſiderum deducunt influxu. Cuilibet corporis parti, quarum triginta ſex eſſe arbitrabantur, certum praeficiebant deum ſiue daemonem, quorum praecipui duodecim ſic dicta, ab iis ipſis inuenta, et apud nos etiam recepta, Zodiaci erant ſigna, a quibus, ex mente illorum, omnis pendebat ſanitas, omnis morboſa conſtitutio. Hos igitur deos, ne morbis ſubiicerentur, aut, ſi iam aliquo laborarent, ut ab eo

 libera-

liberarentur, carminibus colendos eſſe atque placandos,[c] certo ſibi perſuadebant certius, ne dicam, quod ipſorum daemonum illorum imagines lapidibus inſculptas, ſecum geſtauerint, certo documento, quantum Magiae magicisque crederent fabulis

a) Prodiit ille, praeter eam editionem, quam ALDVS MANVTIVS curauit, Venet. 1497. fol. cum PROCLI, PORPHYRII, SYNESII, PSELLI, ALCINOI, etc. quibuſdam; ſplendide etiam Gr. cum verſione Lat. et notis THOMAE GALE, Oxon. 1678. fol.

b) Vid. EIVS *Quaeſt. Nat.* inter Opp. iunctim edita, cum notis varior. Amſtel. 1672. *Lib. III. num. 14*

c) Vid. AD. BRENDELII Diſp. *de curatione morborum per carmina et cantus muſicos;* Vitemb. 1706

§. LXII

Ad *Pathologiam* eorum quod attinet, ea ex ſupra dictis manifeſto apparet. Cauſſas enim morborum ad daemones, ſanitatis atque morborum directores referebant, hinc in cognoſcendis illis, nullum plane adhibebant ſtudium, et quamquam quidem viſum nonnullis fuerit, ex viſcerum internorum conſideratione, quam in defunctis pollinctores inſtituebant, non parua Pathologiam cepiſſe incrementa, ſiquidem tunc apparuiſſet, quibus potiſſimum morbis quis obierit: ea tamen, quae de modo diſſecandi ſupra expoſuimus, ſi conſideraueris, facile coniicere potes, fuiſſe illa perquam exigua. Sic igitur *prognoſis* eorum in morbis nullius plane fuit momenti, et ſi quam inſtituerunt, tota illa ſubnixa fuit Aſtrologiae. An autem uroſcopiae etiam, uti IO. LANGIVS[a] affirmare videtur, tantam tribuerint fidem, et lotio, tanquam unico infallibilique

bilique ſigno, quemadmodum noſtri hodie uroſcopi facere ſolent, morborum praedixerint euentus, ego quidem de antiquiſſimis Aegyptiis affirmauerim nunquam, cum tantopere munditiei ſtudio tenerentur, ut excrementa atque urinam introſpicere, infra ſuam etiam dignitatem eſſe putauerint

a) *Epiſt. Medicin. Lib. I. Epiſt. XI*

§. LXIII

Quae cum ita ſeſe habeant, quid de *praxi* illorum, quam dicimus, ſtatuendum ſit, facile eſt iudicatu. Praeter id, quod Isocrates de illa teſtatur, dubiis atque periculoſis medicamentis illos nunquam uſos fuiſſe, certi aliquid in ſpecie determinare non poſſumus. Interim tamen, tam ſimplicia quam compoſita medicamenta apud Hippocratem, Galenvm, Aetivm, alioſque auctores veteres legimus haud pauca, quae apud Aegyptios iamiam in uſu fuiſſe, uno quaſi illi profitentur ore. De *Chirurgia* tamen ſiue morborum externorum curatione, remediiſque externis prophylacticis, magis videntur fuiſſe ſolliciti, atque non venaeſectionem ſolum et clyſmata, balnea, frictiones, unguenta, quaeque huius generis ſunt alia, ad ſanitatis tutamen uſurpaſſe, verum etiam oculorum morbis curandis, inſtrumentis inueniendis, arti obſtetriciae excolendae, aſſidue impendiſſe operam, et undiquaque, ſi fabula vera eſt, occaſionem arripuiſſe, ut ad maiorem artem hanc perducerent perfectionem, veterum auctorum teſtantur monimenta [a]

a) Conf. Hieron. Mercvrialis *Var. Lect. Lib. II. Cap. XIX*

§. LXIIII

Ita enim ab *Hippopotamo*, uti PLINIVS, anilium ſabularum diligentiſſimus compilator,[a] perſuadere nobis ſtudet, venaeſectionem didiciſſe feruntur. Hunc ſcilicet, aſſidua ſatietate obeſum exire dicit in littus, recenteſque poſtquam harundinum caeſuras ille ſpeculatus, acutiſſimam viderit ſtirpem, corpus inprimere, venamque quandam in crure vulnerare, atque ita ſanguinis profluuio, morbidum alias corpus exonerare, et plagam rurſus limo obducere. Eadem ratione in inueniendis clyſmatibus *Ibidem* auem Aegyptiis exſtitiſſe magiſtrum, praeter AELIANVM[b] idem PLINIVS auctor eſt.[c] Hanc enim roſtri aduncitate, per eam ſe perluere dicit partem, qua reddi ciborum onera maxime ſalubre eſt. Taceo in praeſenti, quod oculorum morbis medendi methodum a capris didiciſſe citati modo auctores teſtentur,[d] utpote quos caligine aut ſuffuſione potius laborantes iunco aculeato in oculum immiſſo, recipere viſum aſſerunt

a) Vid. *Hiſt. Nat. Lib. VIII. Cap. XXVI*

b) *Hiſt. Animal. Lib. II. Cap. XXXV*

c) *Loc. cit. Cap. XXVII*

d) PLIN. *loc. cit. Lib. VIII. Cap. L.* et AELIANVS *Lib. VII. Cap. XIV.* Quibus adde Viri Illuſtr. DAN. GVIL. TRILLERI, noſtratis, Programm. duo *de ſcarificationis oculorum hiſtoria, antiquitate et origine;* Vitemb. 1754

§. LXV

An autem *obſtetriciae* etiam *artis* Aegyptii fuerint periti,

quaeri

quaeri vix debet, cum ad antiquiſſimas illa pertineat artes; nullaque gens ſine ea ſubſiſtere poſſit: at enimuero num a feminis etiam, uti apud nos fieri conſueuit, aut a viris illa fuerit exercita; numque obſtetrices illae, quarum in hiſtoria natiuitatis Moſaicae fit mentio, Aegyptiacae aut Ebraicae fuerint, curatiorem poſcit a nobis indaginem. De *illo* quidem hoc dubitare nos iubet, quoniam apud antiquiſſimas orientis gentes, pariter atque recentiores, maritos hoc officio fungi, eoſque ſolos uxoribus ſuis partum edentibus, auxiliari ſolitos eſſe, relatum legimus. [a] *Hoc* vero quod attinet, luculentis, ſi recte ſentiam, GVDIVS [b] comprobauit teſtimoniis, non Aegyptiacas ſed Ebraicas illas fuiſſe [c]

a) Vid. quae ex IO. LERII *Hiſt. Nauigat. in Braſiliam* protulit THOM. BARTHOLINVS *de inſolitis partus viis* Libello, *Cap. XVII. p. 152.* quibus adde, quae Diſp. *de Re medica veterum Ebraeor.* §. XXXXIII. diſputauimus

b) Diſp. *de Ebraica obſtetricum origine;* Lipſiae 1724

c) Omne vero hoc argumentum egregie perſequutus eſt IO. MEVRSIVS in Syntagmate *de puerperio*, quod recuſ. exſtat in IAC. GRONOVII *Theſ. Antiquitt. Graec.* Lugd. Bat. 1697. ſeqq. *Tom. VIII. p. 1417.* atque THOM. BARTHOLINVS *Synopſi Antiquitatt. veteris puerperii;* Amſtelod. 1676. 12. De deabus autem partus praeſidibus conſ. PETRI BAILE *Dict. Hiſt. Crit. ſub artic.* IVNO

§. LXVI

Ex *remediorum ſimplicium* hiſtoria, quae potiſſimum in uſu habuerunt Aegyptii, inprimis commemorari debet celebratum illud *Nepenthes*, ὀργης και λυπης φαρμακον, ab HOMERO [a] adeo decan-

decantatum, quodque teſte DIODORO SICVLO, irae triſtitiaeque fuit remedium, et cui, ſi vino permixtum id quis bibiſſet, tantas tribuit poeta vires, ut toto illo die non ſenſerit triſtitiam: atque neque minus ab his auctoribus laudatum illud *Moly*, cuius ope contra Circes incantamenta ſequenti aeuo ſe ſuoſque ſodales defendit Vlyſſes, quodque CONRINGIO teſte, qui ſemper male de iis iudicat, ſuperſtitioſum fuit remedium. Sed cum iam ante nos viri, omni noſtra laude maiores, in explicandis illis impenderint operam, [b] magiſque illa ad medicinam Graecorum ſpectent, tunc, quando de illa diſputabimus, eorum uberior expoſitio a nobis erit exſpectanda. Vt de Chamomaelo, antifebrili ab Aegyptiis uſurpato remedio, in praeſenti taceamus

a) HOMER. *Odyſſ.* Δ. *v.* 220

b) Prius ſcilicet egregie expoſuit PETR. PETITVS Diſſ. *de Homeri Nepenthe*, ſiue *de Helenae medicamento luctum animique omnem aegritudinem abolente*; Trai. ad Rhen. 1683. 8. atque GEORG. WOLFG. WEDEL. Progr. *de Nepenthe Homeri*; Ienae 1692. Poſterius vero explicandum ſibi ſumſit, TRILLERVS noſter Diſp. *de Moly Homeri detecto*; Lipſ. 1716. atque itidem WEDELIVS Programmatibus tribus; Ien. 1713

§. LXVII

Chymica autem in ſcientia, aut, ſi Diis placet, in χρυσοποιεια, antiquiſſimi Aegyptii, ſummam cumprimis et prae omnibus gentibus aliis adepti ſunt laudem. OLAVS ſaltim BORRICHIVS, Vir praeſtantiſſimus, et ſi quidam, chymiae non ſolum in genere, verum omnis etiam ſapientiae Aegyptiacae ſtrenuus vindex, omnes

in

in id intendit neruos, ut nobis hoc perſuadeat. Spectat huc integrum volumen, quo praeclare hoc de argumento commentatus eſt. Ad *Hermetem* prouocat, ſupra commemoratum, cuius cum praecipua, ex ſua mente, in ea poſita fuerit cura, ut arte ignobiliora metalla in nobiliora tranſmutaret, quid mirum, ſi Aegyptii omnes, quorum in addiſcendis excolendiſque ſcientiis exſtitit magiſter, ſequerentur eum ducem, idque perficerent, quod ille opus coeperat. Sed quamquam ipſum HOMERVM ille producat teſtem, et undiquaque conquirat teſtimonia, ut opinionem ſuam iis fulciat, nunquam tamen Viri docti exſtiterunt non, qui aſſenſum illi dare, ſuo dubitarunt iure, inter quos HERRMANNVS eminet CONRINGIVS, ſi quidam, hac in arena, aduerſarius acerrimus. Prouocat BORRICHIVS neque minus ad id, quod ingentibus Aegyptii inclaruerint diuitiis, ſplendidiſſimaque erexerint aedificia; ſed, Aegyptiorum regibus, ſi cogitemus, tertiam tam amplae regionis partem fuiſſe propriam; ſique temperantiam, tam ſanctis legibus circumſcriptam, non fuiſſe conſideres, ut multa profuſe conſumerentur: ſine ullo certe artificio has, quinimo adhuc multo maiores corradere potuerunt diuitias. Faceſſat igitur BORRICHII illa ſententia, faceſſat, ne veterem illorum, qui iam olim ab hac diſſederunt ſententia, cantilenam recinam, ſcientia Aegyptiorum chymica, aurumque conficiendi ars; alia adhuc ſuperſunt a nobis explicanda, quae omnem eorum in hac poſitam, atque fictitiam laudem obſcurant, atque ſi nihil etiam aliud in medicina praeſtiterint, aeternis illos tradunt encomiis

a) HERRM. ſcil. CONRINGIVS, quem ſupra teſtem ſapientiae Aegyptia-

cae

cae prouocauimus; mutata poſtea ſententia ſua, ſcripſit Comment. *de Hermetica Aegyptiorum vetere et noua medicina, quo ſimul in Hermetis Triſmegiſti omnia ac uniuerſam cum Aegyptiorum tum Chemicorum doctrinam animaduertitur;* Helmſt. 1648. 4. In quibus Chymicorum doctrinam, rigidiori ſubiectam examini, una cum Aegyptiorum medicina et ſapientia, exploſit. Cui, cum iuſſu FRIDERICI III. Daniae Regis, OLAVS BORRICHIVS *de Ortu et progreſſu Chymiae;* Hafn. 1668. opponeret libellum; CONRINGIVS in breui Apologetico, iteratae operis ſui editioni, Helmſt. 1669. auctiori, adiecto, ad obiectiones BORRICHII reſpondit: quinquennio tandem poſt, BORRICHIVS, iterum CONRINGIVM ſtringebat, Libriſque II. quibus *Hermetis Aegyptiorum et Chemicorum ſapientiam* a HERRM. CONRINGII animaduerſionibus vindicat; Hafn. 1674. 4. prolixiori exponebat opera

§. LXVIII

Diaetetica eſt, quam intelligo, in qua certe excolenda omnem ſuam poſuerunt operam, et ex qua fructus etiam deportarunt uberrimos. Praeter id enim, quod terram ubertate ſoli frugumque abundantia, nec non aere ſaluberrimo,[a] beatiſſimam diſpenſauerit DEVS Aegyptiis, non, ut aliorum alias hominum fortunae ferendae longe imparium

Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis,

otio ſeſe dabant atque luxuriei, ſed viliſſimo utebantur victu, et quicquid ad ſanitatem tuendam vitamque prolongandam faciebat, omni cura peragere ſtudebant. Sic radicibus plerumque contenti atque fructibus terrae, ad compeſcendam famem, aqua autem, aut potu etiam ex hordeo parato loco vini ad exſtinguendam ſitim utebantur.

bantur. Et quamuis carnium eſum omnem viguiſſe apud illos omnino negari non poſſit; ſuis tamen ille erat circumſcriptus limitibus, [b] ita, ut neque regibus, neque ſacerdotibus etiam, quae volebant, comedere licitum eſſet, ſed quae praeſcribebant leges. Sic bubula carne atque anſerina ſedulo et libenter veſcebantur, de piſcibus autem vel guſtare tantum nefas erat. Ex leguminibus, quae alias in deliciis habebant, fabas, non edebant, immundum eas arbitrati legumen. Inſuper autem exercitationibus corporis mature nauabant operam, probe perſpicientes, quod quemadmodum, quod alterna requie caret, durabile non ſit, et ſicuti putreſcant, niſi moueantur aquae: ita etiam vitam et ſanitatem in mutuis his inter ſe mutationibus conſiſtere, et ab iis ſolis eſſe deducendam. Munditiei adhaec maximum impendebant ſtudium, praeeuntibus hac in re ipſis ſuis regibus atque ſacerdotibus. Sic igitur corpus ſaepe lauabant, et tertio quouis die radendum curabant, ne aliquae in eo naſcerentur ſordes. Et ex his omnibus ſanitate non ſolum ſemper fruebantur proſpera, corporiſque ad varia perferenda aduerſa ſortiebantur robur: verum ad longos atque ſeros etiam vitam ſuam prorogabant annos

a) De aëris Aegypti ſalubritate prolixe ſatis expoſuit praeter SALOM. CELLARIVM in *Originibus atque Antiquitatt. Medicis;* Ienae 1701. 8. *p.* 37. BENIGNVS MAILETTVS, qui per plures quam ſedecim annos Conſulis nationis Gallicae in Aegypto functus eſt officio, *Deſcriptione Aegypti* Gall. idiomate euulgata; *Part. I. pag.* 18

§. LXVIIII

Plura de Medicina Aegyptiorum qui ſcire auent, ad PROSPE-

RVM ablegandi ſunt ALPINVM,[a] qui ipſe per plures annos in Aegypto commorabatur, quamquam, quae commentatus eſt, non antiquiſſimam illam populi huius medicinam exponunt, ſed recentioris potius aeui, cum a Graecis atque Arabibus iam adulterata fuiſſet. De iis enim, quae nos expoſuimus, ex inſtituto expoſuit nullus, et praeter illa, quae apud SCHVLZIVM atque CLERICVM eruditiſſimos illos Hiſtoriae Medicinae Litterariae uniuerſalis interpretes, reperimus, altum ubique eſt ſilentium

a) De *Medicina Aegyptiorum Libris IV.* Venet. 1591. 4

§. LXX

Atque haec, fidem promiſſi nuper datam, ut aliqua ex parte liberem, lubitum animo fuit, *de re medica Aegyptiorum antiqua* exponere, quae, ſi, leui tractata brachio, rerum harum videantur intelligentibus, quibus etiam libellum hunc meum, arido modo quamuis pumice expolitum, de meliori nota velim commendatum, calcar addent properanti, plura hac in arena proferre, atque ad reliquos etiam Orientis populos excurſionem facere, et ſemper amorem in optimas artes teſtificari

EXPLICITA EST EXERCITATIO

F. 2.





Fig. 1.



F. 3.



F. 4.



F. 5.



F. 6.



Püschel sc. L.